














FRANCISCI VERINI
SECVNDI CIVIS
FLORENTINI
LIBER.

In quo à calumnijs detractorum Philoſophia defenditur, & eius præſtantia demonſtratur.

A NICOLAO VMBROSIO PISANO Artium Doctore, ob Authoris peritiſsimi amantiſsimiq; ſui præceptoris abſentiam in capita diſtributus, & indice illorum locupletatus.


AD SIXTVM V. PONT. OPT. MAX.






ROMAE, Apud Io. Angelum Ruffinellum. 1586.

Cum Licentia Superiorum.



SANCTISSIMO
SVMMOQVE PONTIFICI
SIXTO QVINTO.

FRANCISCVS VERINVS II.
Fœlicitatem optat perpetuam.





PHilosophia nihil aliud profecto existit, quam sapientię amor: quemadmodum pręclare, tum omnes præstantiores Philosophi, tum etiam ipsa natura rerum, circa quas versatur, nobis demonstrant. Sapientia verò prima (Sanctissime ac Beatissime Pater) illud idem est, quod ipsemet Deus, qui rerum omnium, & præsertim hominum α, & ω, hoc est, principium agnò scitur, videlicet, à quo ortum ducimus, & finis in quo beatè viuimus; & beatitudo sanctitatem, & ani-

mi puritatem requirit, vel hæc eadem præclarissima facultas hûc totis viribus, atque contemplationibus tendet; vt nos, cum ad sanctitatem, tum ad beatitudinem rectè, quantum ad intellectum dirigat, & vehementer, quantum ad affectum voluntatis, inflammet. Quo etiam Christi fideles ac tu (Sanctissime, ac Beatissime Pater) propriæ vitæ exemplo, & summa diligentia, & dirigere & inflammare contendis: quo denique velis remisque nos omnes, qui à Deo vocati sumus, tanquam ad portum tendere debemus. Verùm cum hæc omnium humanarum facultatum prestantissima (Deo ita volente) in Platone, ac Aristotele, velut in Philosophorum omnium Principibus inuenta sit; qui Gentiles extiterunt; & Doctrina diuinitus reuelata caruerunt; quæ omnem salutarem veritatem absque vllo mendacio continet: hinc factum est, vt illi lumine tantum naturæ, & humano ingenio Philosophantes, neque vniuersam veritatem, neque penitus absque vllo mendacio eam assecuti fuerint. Quare horum facile Principum Philosophorum primi Interpretes, ipsi videlicet Græci, & ex Arabibus Cõmentator Auerroes: tum quia etiam ipsi gentiles fuerunt: tum etiam quia hos Philosophantes, & præsertim Aristotelem, nihil sine forti ratione protulisse obseruarunt. His de causis euenit, vt Aristotelis Doctrinam vt Gentiles potius exponere, ac tueri voluerint, quàm ad pium, atque verum sensum reducere. Hos, in eadem Aristotelica Philosophia,

ſophia demum exponenda, multi ex catholicis Philoſophis imitati ſunt: idque in ipſorummet, & plurimorum diſcipulorum ruinam. Verum Theologi, ac Doctores tùm humanæ, tùm diuinæ veritatis, huius Zelo, ac ſalutis electorum acriter ſtimulati, præſertim Diuus Thomas, Gaietanus, Egidius, & alij huiuſcemodi humanam Philoſophiam Diuinę minimè repugnare demonſtrarunt; Si ipſa rectè exponatur, aut ad pium, ac verum ſenſum referatur. Hæc quæ ab Excellentiſſimis Theologis ſparſim, & in eorum libris Theologicis bene, ac pie dicta fuerunt, a me nunc in præſenti opere collecta ſunt: cùm, vt ortum ipſius Philoſophiæ, eſſentiam, partes, atque præſtantiam conuenire demonſtrem Theologicæ veritati: tùm, vt Sanctitati, & Beatitudini tuæ pariter, ac vniuerſæ Chriſtianæ Eccleſiæ de pio, & vero philoſophandi modo fidem facerem, quo in docendo, ac diſputando in hoc Almo Piſano Studio triginta & vnum annis, & publicè & priuatim vſus ſum: & denique, vt opus hoc meum tanquam veræ, ac piæ philoſophiæ exemplar (te Beatiſſimo, ac Sanctiſſimo Pontifice fauente) poſteritate, ac futuris philoſophis relinquerem. Hoc ipſum igitur munus hilari fronte ſuſcipe, ac ſplendore authoritatis tuæ, quæ ſumma dignoſcitur, illud, vt verum, atque catholicum approbes, atque munias; modò tale uidelicet id eſſe (quod ſpero) comperias. Cæterum primus, ac ſolus omnium author bonorum Beatiſsime Pater tibi plurimum

rimum præſentis uitæ tribuat: ut plurimo tempore ſub tua ſanctitate, ac beatitudine Catholica Eccleſia ſanctè, ac beatè uitam agat. Vale.



ore
eſia


PERILLVSTRI VIRO

ALFONSO RICCIO

PROTONOTARIO

APOSTOLICO,

ET VTRIVSQVE SIGNATVRAE REFERENDARIO.





ECTE equidem mecum agitur, Alfonſe Ricci. Cum enim nihil mihi magis eſſet in votis, quam vt ſingularem meam erga illuſtres tuas virtutes obſeruantiam tibi primum, deinde alijs omnibus, teſtatam redderem, opportuna mihi ſe occaſio obtulit. Neque vlla vnquam opportunior certe offerri poterat. Philoſophiæ commendationem, à Franciſco Verino Sixto V. Pontifici Maximo præcipue dicatam, tibi quoque conuenire, optimè noueram. Librum de eius laudibus tibi do: qui, Philoſophiæ cultor, atque ſapientiæ amator es, &, eam iam, conſecutus, hominibus tuo exemplo viam præmonſtras, qua iter ſibi ad laudem, & ad gloriam, parent. Nec tibi maiora deberi, quam iam es adeptus,

42

ptus, omnes affirmant. Iidemq. iure iudicant, eum te fore aliquando, qui, Virtuti locum suum tribui, reipsa comprobes? Sixto Quinto Pontifice, quid non sperandum? Tu ei merito gratissimus. Vt bona omnia augurari facile liceat. Francisci igitur Verini, summi Philosophi, & in Academia Pisana de superiore loco docentis, librum (vt dixi) Philosophiæ laudes complectentem, Pontifici summo dicatum, ad te mitto. Vt liber ipse, tuo ductu, tuisque auspicijs, Pontifici gratior sit: & ego eodem tempore meam erga te obseruantiam aliquo modo declarãs, firmiore vinculo me tibi adstrictum reddam, dum tu, beneuolentia tua me magis amplectẽs, maiorem tui animi, quam mearum virium, rationem habes. Deus optimus consilia tua fortunet, teque nobis quam diutissime seruet.

Romæ. Die prima Nouemb. CIƆ IƆ XXCV.

Tuis maximis virtutibus addictissimus

Io. Angelus Ruffinellus.

INDEX CAPITVM.

b Secunda

Vnius

Index Capitum.

Ad-

Index Capitum.




FRAN-

FRANCISCI VERINI

SECVNDI CIVIS FLOREN- TINI LIBER,

In quo à calumnijs detractorum Philosophia defenditur, & eius præstantia demonstratur.

Garritus illorum reprehenduntur, qui Philosophiam sanctæ Theologiæ repugnatricem reddunt. Cap. I.



Vò ruitis vos? vos inquam præ cæteris, qui pro dignitate Philosophiam profiteri vos ipsos existimatis, cùm alioquin eius interpretes ita sitis, vt eam à quàm plurimis Catholicis veritatibus (quæ nos ad verum Dei cultum perducunt, & ad æternam beatitudinem) dissentientem ostendatis, ac prædicetis. Nonne à Deo ita *Ratio prima.* fuisse rebus omnibus communicatum esse, & viuere, his quidem clarius, ijs verò obscurius, rationi consentaneum est, vt ipsæ primo in eius cultum nos manuducant? Deinde, vt ad operandum secundum rectam rationem Prouidentię, & voluntati Diuinæ conformem erigant? Id quod præclarè à Platone vj. ac vij. de Repub. nobis ostenditur & quemadmodũ optimè etiam à Peripateticis deducitur, vt ab Alexandro, Simplicio, & Auerroe in præfationibus eorum in primum de Physico Auditu. Præterea si Theologia diuinitus reuela- *Ratio secunda.* ta omnium aliarum, quæ humana ratione adinuentæ sunt, peritiarum Regina existit, ut quæ sola diuina Mysteria nobis aperiat, & absq; vllo mendacio, non ne illi Philosophiam

veſtram hanc inſeruire decet? cur eam igitur illi aduerſari
Ratio tertia. tam acriter contenditis? ſi Ariſtoteli licuit gratia ſuæ Doctrinæ pro viribus confirmandæ aliorum Philoſophorũ ſententias ad rectum ſenſum deducere, & quod ei negocium faceſſebat ex hominũ mentibus amouere, quanto magis Catholicis Philoſophis conuenit, Doctrinam Ariſtotelis, quantum fieri poteſt, Chriſtianę Theologię conformem oſtendere? illa enim ſi vere, & pie exponatur, ac edoceatur, falſitate videlicet, ac impietate ſimul exploſa, id ipſum ob oculos
Ratio quarta. palam conſtituet. Namque cum, Ariſtotele veſtro teſte, rectum ſit iudex ſui; & obliqui, obliquum vero neque ſui, neque recti: cumq; Doctrina Catholica penitus recta ſit, humana vero Philoſophia comparatione illius obliqua, & imperfecta, dubio procul Ariſtotelica contemplatio, tamquam
Ratio quinta. ad Iudicem, ad vnam Theologiam referri debet. Præterea ſi media, quæ finis alicuius gratia ſunt, eo præſtantiora exiſtunt, quo magis ad acquiſitionem illius finis cõferre videntur, non ne veſtra hæc Philoſophia tunc longe præſtantior erit, cum ipſi Theologiæ diuinæ melius inſeruiet, illiq; magis conformabitur? Audite igitur, audite, qua ratione vere, ac pie potius quàm eleganter, aut acutè, ipſam Philoſophiã intelligere opus ſit, atque alijs exponere: quemadmodum etiam ego tum publice, tum priuatim in hoc Piſano ſtudio xxxj. annis eam intellexi, atque alijs interpretatus ſum; nec non ab omni argumentatione cõtrariæ deceptionis ſemper defendidi.

Authoris intentio proponitur, & methodus in eius declaratione ſeruanda aperitur. Cap. II.

VOs itaque viri admirabiles dum veſtram hanc Philoſophiam magnifacere creditis, & vſque ad ſydera extollere, eam paruifacitis, & inferiorem qualibet arte effectrice, quæ apud nos eſt, redditis, idq; nimirum veſtris acutis,

atque

atque ornatis potius quàm veris, & rectis interpretationibus, adeo veſtra hac proteruia eam infinitis pene calumnijs obnoxiam efficitis, à quibus ego ipſam tueri cupio. Verum quia calumniæ, ſi detegantur, & expurgantur, vtilitatem, ac beneficentiam Philoſophiæ ſaltem ex accidenti præſtant, multiplex autem vtilitas, ac beneficentia ex multis eius partibus rite propoſitis depẽdet; propterea quo melius eius partes nobis innoteſcant, ac per cõſequens eiuſdem eſſentia totius, ac ita demum illa calumniarum peſtis abdicetur, ac mittatur in exitium, à primis, vnde Philoſophia ducit originem, cauſis auſpicabor, ordine videlicet compoſitiuo progrediens. Secundo definietur quid ipſa exiſtat. Tertio in omnes eius principes partes diuidetur. Quarto bona, quæ ipſa nobis præſtat, & præſertim vt cum iuxta Catholicam fidem, tum etiam ſecundum virtutes morales, & ciuiles viuamus, iudicabuntur. Poſtremo à quampluribus, & grauibus calumnijs eam (nulli labori parcens) vindicabimus.

Ordo di cendorũ

Diuinum imploratur auxilium, & Philoſophiæ primam originem oſtenditur à Deo eſſe. Cap. III.

AGgrediamur itaq; negocium, initio hinc deſumpto. Qui primò cætera mouet, ita mouet, vt alijs non egeat, alia vero non ſine illo, me in viam veritatis ita dirigat, vt ne in aliam quidem ob ignorantiam depellar, vt cunctis ipſam Philoſophiam ſecundum Naturæ leges, & catholicam veritatem in verum Dei cultum & veram animi pulchritudinẽ tendere, luce clarius demonſtretur, ad eius gloriam, & noſtri ſalutem ſempiternam.

Philoſophiam itaq; Plato, atq; Ariſtoteles à Deo ipſo ortũ ducere confitentur; quæ ſententia, tum authoritate horũ Principum Philoſophorum, tum etiam ratione oſtenditur, authoritate quidem Platonis in Timeo, vbi de vſu oculorũ, & de fine cuius gratia ipſi nobis à Deo tributi ſunt, verba faciens, dicit Philoſophiam eſſe donum, quo nullum maius

Platonis authoritas prima.

vnquam generi Mortalium à Dijs datum eſt, neq; dabitur. authoritate vero Ariſtotelis ſecundo de Anima, ac tertio, vbi vult, ſcientiam noſtram à rebus, ipſarum ſimulachra in noſtris ſenſibus imprimentibus, ortum ducere. At res à Deo eſſe, & viuere habent, aut clarius, aut obſcurius, primo Cæli 100. Quare, ſi ſcientia noſtra ſecundum Ariſtotelem à rebus exoritur, & hæ dependent à Deo, etiam ipſa primo ab ipſo Deo ducit originem. Quod ad rationem attinet, ſimiliter, tùm ex Platonis, tùm ex Ariſtotelis ſentẽtia demonſtratur, Philoſophiam à Deo originem ducere, quemadmodum, & cætera bona. Quod ratiocinium formari hũc in modum poteſt; aut Philoſophia, & omnino rerum ſcientia congenita eſt Animabus noſtris, aut ſtudio acquiritur. Si primo modo (vt videtur exiſtimare ipſe Plato tum in Theæteto, vel de ſcientia, tum in Mennone, vel de virtute, & animæ noſtræ ſecũdum iſtum præclarum Philoſophum à Deo createę ſunt, ergo ſimul cum ſcientia. Si uero ſecundo modo (ut nos docet Ariſtoteles) Deus etiam, qui res produxit, illis tribuit uirtutem formandi ſenſus proprijs illarum ſimulachris, noſtrę ſcientiæ erit author. Rurſus, quod Philoſophia, ac omnis rerum cognitio à Deo nobis tributa ſit, tum ſecundum ueritatem, tum ſecundũ omnes ſapientes, hac alia ratione oſtenditur. Quia cum Dei opera primo propter ipſum ab eo proceſſerint ad eius gtoriam; gloriam uero ipſi exhibere, ac ſummam reuerentiam, qua ratione poterimus, niſi admirabiles eius creaturas cognoſcamus, aut ab illis per illarum ſimulachra edocti, aut quia huiuſcemodi ſcientia ſimul cum anima congenita fuerit, & ope rerum ſenſibilium in illius reminiſcentiam deuenire poſſemus? Quamobrem, cum hæc præclariſſima facultas à Deo ueluti primo principio effectiuo in nobis producta ſit, & gratia ipſius, in eius ſcilicet cultum, & gloriam, merito, tum eius admirabiles utilitates exponere oportet, tum calumnias recenſere, atq; ab eiſdem Philoſophiam pro uiribus defendere.

Authoritas Ariſtotelis ſecunda.

Ratio prima ducta cum ab Ariſtotelicis tum Platonicis fundamentis.

Ratio ſecunda.

Philo-

Philosophiæ definitio, tum quoad eius veram essentiam, tum quoad nominis Ethimologiam traditur. Cap. IIII.

QVantum uero spectat ad definitionem ab Ethimologia acceptã, Philosophia nihil aliud est, quàm sapientiæ amor, & merito. Nam cum Deus sua sapientia omnia creauerit, ac aliqua bonitate insigniuerit, & hæc omnia aliquo modo nostri gratia existant, cui dubium est, quod Philosophia, per quam res omnes nobis innotescunt, ardentissimo Dei amore nos inflammet, qui ipsamet sapientia, ac bonitas existit. Quantum uero ad definitionem huius eiusdem facultatis, quæ subiectum, & finem ostendit, hæc nihil aliud est, quàm cognitio rerum diuinarum, ac humanarum, ut Deo assimilemur, quatenus id nostra permittit infirmitas ad Dei gloriam celebrandã, idq; non solum mente, uoluntate, & uoce, uerumetiam operibus, Id quod non alia ratione fieri potest, quàm, ut eidem pro captu nostro similes efficiamur, nempe cuncta eius opera cognoscendo, ut ipse cognoscit, & humana rectè instituendo, quemadmodum omnia, quæ in uniuerso continentur à Rege Regum rectissimè gubernantur. Cum itaq; ope Philosophiæ homines præclarissimum finem consequantur, qualis est Dei similitudo, ut possibile est nobis, qui finis optimus omnium aliarum artium, ac scientiarum existit: merito etiam ab Aristotele Philosophia dicitur Ars artium, & scientia scientiarum. Cum etenim ad ipsum Deum summum omnium bonorum, ac sempiternum minimè accedere ualeamus, nisi quantum ad affectum, ab ijs caducis remoueamur, idcirco eadem Philosophia quandoq; etiam à Platone definitur, quod sit Mortis meditatio, & interdum deductio animæ ab ijs inferioribus ad supremum, ac diuinum bonum. Videte igitur, uidete uiri admirabiles, quanta sit non solum præstantia, uerum etiam pietas Philosophiæ, quæ Deum, ut sui primum principium constituit, & ad eundem, uelut ad ultimum

Ratio definitionis ab ethimologia.

Rationes aliarum definitionũ tum à Platone tũ ab Aristotele dictarum.

Corrolarium primum.

mum philosophantium finem properat. Hæc de ortu, ac definitione philosophię dicta sint. Ex ortu namq; didicimus, ipsum Deum, ut pote principium agnoscere, quamuis imperfectè, si cum intelligentia Christianæ Religionis collatio fiat. Ex definitione uero eundē, ut finem percipimus, quemadmodū ipsemet Deus in diuinis reuelationibus Diui Ioannis dixit. Ego sum α & ῶ, principium, & finis. Itaque cum ex ortu, tum ex definitione simul, percipere potuimus, hanc præclarissimam facultatem, triplicem, aut potius quadruplicem modum essendi habere. Primum, atque inexplicabilem in Deo, secundum in cæteris diuinis mentibus proportione quadam. Tertiū in rebus sensibilibus, ut simulachris illorum nostros sensus informantibus. Quartum denique in ipsa anima Philosophorum, quoad esse internum, atque cæteris occultum. Quantum autem ad esse externum, id, ob manifestationem in uocibus, & in scriptis attenditur. Qua uero ratione Philosophia in uocibus, & scriptis existeret, nisi prius in animis Philosophorum esset, & in his quomodo reperiretur, nisi merito rerum sensibilium? & hæ quo pacto id præstare utique possent, nisi à Deo rerum ac bonorum omnium causa, illis uirtus formandi animos nostros, data fuisset. Illi itaque in numerum recte, ac fœliciter philosophantium solum conscribendi sunt, qui huiuscemodi ueritates, & intelligentia, & operibus amplectuntur, atque imitantur, & inde cæteros ea, quæ ab his utique dependent, edocent, quique Doctrinam diuinitus reuelatā, tamquam Philosophia superiorem, ac subalternantem agnoscunt, & hanc eamdem (ut scolastice loquar) ei subalternatam, & credunt, & cæteris exponunt.

Corrolarium secundum pulcherrimū de modis essendi ipsius philosophiæ.

Vniuersa Philosophia in suas partes distribuitur, & singularum partium ratio redditur. Cap. V.

QVantum ad tertium caput; Philosophia diuiditur primo in duas principes partes, in speculatiuam uidelicet, &

cet, & actiuam: Namq; ſi res ipſi ſubiectas ſpectemus, quia tum circa res diuinas & ſpeculabiles uerſatur, tum circa res humanas & in actione conſiſtentes, eam dubio procul in ſpeculatiuam, & actiuam partiemur. Similiter, ſi eam conſideremus quo ad eius duplicem finem, ſeu actum, quo Deo aſſimilari ualemus, qui contemplatio ſimul, ac recta ratio, ſeu adminiſtratio exiſtit, nimirum hoc eodem pacto diuiſionem ſortietur: quemadmodum etiam, ſi eas animæ partes contemplati fuerimus, quarum Philoſophia perfectio dignoſcitur, quemadmodum corporis Medicina. *Vnde Philoſophia in actiuam & ſpeculatiuam diuidatur.*

Harum porro pars una dijudicatur apta obedire rationibus re uidelicet, ac aſſuetudine; illiq; ope eius partis philoſophiæ, quæ actiua eſt: alia pars animæ intellectiua eſt, quę ſcilicet ea, quę diuina ſunt, per participationem cognoſcere, ac contemplari expetit, ut tandem ad Deum aſcendat, & in eo ſpe ſaltem, & præparatione (diuina ſimul fauente gratia, ac ueritate diuinitus reuelata) fœlicitatem conſequatur. ſubdiuiditur deinceps unaquaq; ex his Philoſophię partibus in tres: ut autem ab inferiori exordiar, ab ea initium ſummam, quæ prima ordine naturæ cenſetur. Itaq; primum occurrit appetitus ſenſitiuus, deinde ea pars, quæ ſuaptenatura rationalis dicitur. Quæ actiua dicitur, in moralem œconomicam, & ciuilem, ſeu politicam diuiditur, cuius ratio eſt, quia aut quo ad uirtutes actiuas, & ad actiones homo per ſe rectè inſtituitur, & hoc fit à morali; de qua ordine reſolutiuo, idq; breuiter quidem, ſed exquiſitè (pro ut ſubiecta materia tollerare uidetur.) Scripſit Ariſtoteles in decem libris de Moribus ad Nicomachum filium, cuius Interpretes præcipui ſunt, Euſtratius, & nonnulli alij Græci, quibus acceſſit, inter latinos, Donatus Acciaiolus Ciuis Florentinus. Cęterum ab actiua philoſophia plures etiam rectè inſtituuntur. hæc autem plurium multitudo ſi pauca ſit, quemadmodū familia, ab œconomica (de qua ſimiliter Ariſtoteles uerba fecit, atq; etiam ipſi Zenophon in libris œconomicorum, *Diſtributio Philoſophiæ actiuæ.* *Ratio diſtributionis.*

rectè

rectè gubernatur . Si uero multitudo magna ex pluribus conſtans familijs extiterit, quæ ciuitas appellatur, de eius modis gubernationum abundè dictum eſt, tum à Platone in libris de Repub. tum etiam ab ipſo Ariſtotele in octo libris Politicorum, quos D. Thomas doctiſſimè, atq; clariſſimè interpretatus eſt. Hac tempeſtate noſtra non modo doctè, ſed etiam admirabili verborum elegantia Petrus noſter Victorius, & rem ipſam aggreſſus eſt, & abſoluiſſe creditur? qui tum ob ſummam ſanguinis nobilitatem, & vtriusq; linguę tam latinæ, quam græcæ eruditionem, præterea morũ probitate, tamquam alter Sol toto Terrarum orbe refulget? Sed dicet aliquis, Hæc Philoſophiæ actiuæ ſubdiuiſio diminuta eſſe videtur, tũ quia præter homines, qui per ſe viuũt, & præter familias, & Ciues, dantur etiã Vici, qui ex pluribus familijs cõſtant, quemadmodum Ciuitas ex pluribus vicis, Ergo altera pars Philoſophię actiuę erit de recta vici inſtitutione.

Contra diſtributionẽ philoſophiæ actiuæ. Obiectio prima.

Præterea quot ſunt partes Prudentiæ, quæ habitus cum recta ratione actiuus exiſtit, totidem eſſe ſimiliter partes Philoſophiæ actiuæ, rationi conſentaneum eſt, At quatuor ſunt partes Prudentiæ, ſicut Ariſtoteles ſexto de Moribus oſtendit, & hoc ipſum experientia comprobat, nempè moralis, Oeconomica, ciuilis, & legalis, quæ ſuprà videtur à nobis ommiſſa per incuriam.

Obiectio ſecunda.

Prima obiectio ita diluenda eſt (vt arbitror) Si dicatur vicum vnum, aut plures, non tamen in ſufficienti multitudine, aut familiam eſſe abundantem ex pluribus, hoc pacto diſtinguendum eſt, Si ab vno principio illarum familiarum regatur illa multitudo magna familię, tum Ciuitatem inchoatam, & imperfectam dicemus; Si plures ſint vici, & diſtincti; tum ea vnius vici gubernatio Oeconomica dici poteſt; plurium vero, ciuilis aliquo modo. & ita non opus eſt ob uicum, ſeu uicos nouam partem philoſophię actiuæ conſtituere.

Prima obiectio diluitur.

Ad argumentum de legali Prudentia, ac doctrina, dicendum eſt; aut hanc eſſe quartam partem ciuilis facultatis per accidens, quatenus accidit plurimos

Secunda obiectio tollitur.

non

non conuinci ratione ad bene agendum, ſed ui à legalibus adduci, & ſunt illi qui nimis perturbationes ſequuntur. Aut dicatur, leges reduci ad ciuilem, vt ad ciues pertinent; ſi ad familiam, ad œconomicam; ſi ad vnum hominē, ad moralem. Speculatiua porro Philoſophia ſimiliter in tres partes ſubdiuiditur, quemadmodum præclare oſtenditur ab Ariſtotele 6. Metaphyſices cap. 1. nam, aut ens, quod ſpeculari quidem poſſumus, non autem efficere, pęnitus à materia immune eſt, vt Deus, ac ipſæ diuinæ Mentes: nam circa huiuſcemodi ſubiectum Metaphyſica ſuis contemplationibus verſatur; Aut ea contemplatur, quæ pęnitus cum materia, & motu ſunt, cuiuſmodi videntur res omnes ſenſibiles & naturales, ſicuti corpora cæleſtia, quatuor elementa, & mixta ex ijs, ſiue inanimata ſint, vt lapides, & metalla, ſiue anima prædita comperiantur, vt animalia, & plantæ, quæ omnia cum materia ſenſibili non ſolum exiſtunt, verum etiā cum eadem concipiuntur, & explicantur. Has omnes Philoſophia ipſa naturalis contemplatur. Denique eorum, quæ ſub ſpeculationem cadunt, quædam in materia ſenſibili ſubſiſtunt, ſine materia vero tantiſper amota videlicet quatenus ea, & concipi, & alijs exponi poſſunt, cuiuſmodi cernuntur quantitates, quæ ſubiectum Mathematices exiſtunt. Hæc eadē ſpeculatiuæ Philoſophiæ ſubdiuiſio, ratione ſumpta à fine, cui ipſa deſeruit, cōfirmari poteſt, hoc pacto. Aut enim Philoſophia rerum contemplatrix potius in mente, & ſenſibus externis reperitur, & ijs duabus partibus animæ potius circa rerum ſpeculationem occupatur, & hæc eſt Philoſophia naturalis; Aut in mente, & ſenſu interno præſertim in phantaſia, ut Mathematica; Aut potius in ipſa mente intelligente, & ratiocinante, ut Metaphyſica. Cum enim diuina qualitatibus ſenſibilibus careant, ob id uno duntaxat intellectu potius quàm ſimul cum ſenſu ſpectari debent. Quantitates uero Mathematicæ, cum ſenſibilia communia ſint plurium ſenſuum exteriorum illarū ſimulachra ad ſen-

Speculatiuæ philoſophiæ diuiſio.

Diſtributionis ratio prima.

Ratio ſecunda.

ſuum exteriorum illarum ſimulachra ad ſenſum comunem, & ad phantaſiam,ut in ſingulari conſiderantur,ut uero uniuerſaliter,ad intellectum pertinent. Ideo iure dicitur Mathematicam ad intellectũ & ſenſum internũ ſimul ſpectare, & res naturales ad ſenſum potius externũ, & intellectum ſimul; propterea quòd ipſæ accidentibus ſenſibilibus proprijs inſignitæ deprę̄hendantur, vel quo ad accidentia huiuſcemodi, ſed in uniuerſali per illorum proprias cauſas à naturali ſpectantur magis. Mathematica rurſus diuiditur. nam aut quantitatem per ſe ſpeculatur, aut applicando rei ſenſibili, & naturali. Si quantitates per ſe;aut continuas,ut lineas, & ſuperficies, ſicuti Geometria & corpora Stremetria; aut diſcretas, ſcilicet numeros; ut Arithmetica Philoſophorum, quæ numeros, & proportiones illorum conſiderat. Non enim ad Philoſophos pertinet Arithmetica uulgaris, quam uulgares, & Mercatores addiſcunt, ut ſciant numeros colligere,partiri; quemadmodum ſubtrahere & multiplicare. Huiuſcemodi Mathematicæ illæ ſunt, quæ puræ Mathematicę,& ſimpliciter Mathematicæ dicuntur,& quę in primo gradu certitudinis habẽtur. Aut Mathematica de quantitatibus loquitur, ut ſunt in re aliqua ſenſibili, ac naturali: & propterea ab Ariſtotele ſcientiæ huiuſmodi inter Mathematicas magis naturales reponuntur,ſecundo Phyſicorum contextu 20. ubi hæ tres recenſentur, Perſpectiua, Armonicha, & Aſtrologia, quarum ſufficientia hac euidenti ratione demonſtrari poteſt: quia aut Mathematica circa quantitatem continuã, ut in materia ſenſibili exiſtentẽ uerſatur, aut circa diſcretam; Si circa continuam;aut in re naturali ſuperiori, & cœleſti,ut Aſtronomia; aut in inferiori, ut perſpectiua,circa lineam,& pyramidem uiſus ſe exercet; ut omnium eorũ, quæ uiſui apparent, rationẽ reddere poſſit. Si circa quantitatem diſcretam applicatam uocibus, & ſonis, ſecundum numerorũ proportiones; hæc eſt ipſa Harmonica,ideſt Muſica. intelligendo ſimiliter de ea, quæ Philoſo-

Mathematicæ partitio.

Ratio partitionis.

lōſophorum eſt, atq; ſcientifica; non autem de Muſica uulgarium, quæ conſonantiam uocum, ac ſonorum conſiderat, potius practicè, quàm contemplatoriè, & potius Empiricè quam ſcientificè. Quod ſi quæratur? quare eſt, quod etiam harmonica ſubdiuidi tum minimè poſſit, in eam, quæ cæleſtibus corporibus applicetur, ſeu ſonis illorū; & inferiorem ſonorum, & uocum noſtrarū. dicendum eſt, id fieri ſimiliter non poſſe, ut de Mathematicis conſiderantibus quantitates cōtinuas in re ſenſibili? propterea quod cæleſtia ſonos, & uoces ædere minimè poſſunt (quicquid dicāt Pythagorici) tum quia inter illa non intercipitur aer, qui percuſſus ſpeciem ſoni formet, aut ſono ipſo, & uoce: tum quia eſſent ita maximi ſoni, qui ſenſus noſtros corrumperēt; quemadmodum ab Ariſtotele in ſecundo de cælo aduerſus ipſos Pythagoricos demonſtratur.

Dubitatio.

Solutio dubitationis.

De quibus agendum superſit aperitur, & moralis Philoſophia ſubſidio ad Dei pietatem cum ciuili vita coniunctam nos adſpirare demonſtratur. Cap. VI.

HVc uſq; cauſa, unde primo orta eſt Philoſophia, explicata eſt; deinde quid ipſa ſit; & tertio in quot, & quas partes diuidatur, expoſuimus. Conſequens modo eſt, ut ad eius præcipuas cuiuſcunq; partis philoſophiæ utilitates exponendas accedamus: quæ ad Dei gloriam, ac eius cultum ſpectare uidētur, & ad ciuilem vitam ſimul cum diuina pietate coniunctam; cum horum finium gratia hîc procreati ſimus, vt, quantum ad Deum attinet, piè viuamus, quantum vero ad noſmetipſos, & vt cum alijs, ſecundum morales, ac ciuiles virtutes vitam tranſigamus. Moralis itaq; Philoſophia; vt ab hac, quemadmodū ordo requirere videtur, exordiamur, fęlicitatem actiuam, atq; contemplatiuam nobis declarat; vt videre eſt apud Ariſtotelem, tum in primo, tum in decimo de moribus. Et de actiua dicitur, rationi conſenta

Moralis philoſophia actiuā et contemplatiuā fælicitatē nobis declarat

Quod actiua fœlicitas à deo proueniat. *Ratio prima.*

neum esse à Deo tribui,& eo magis quo cæteris humanis bonis, ipsa bonum est præstabilius : ex quibus sanè verbis duæ rationes nobis indicantur, quarum vna est hæc. Præstantissimum bonum à præstantissima causa procedit; sed fœlicitas actiua bonorum humanorũ præstantissimum est, cum cætera huius gratia expetantur, & illi subijciantur : ergo actiua fœlicitas à prçstãtissima causa,quæ est ipsemet Deus procedit. Alia ratio hunc in modum formari potest. Si à Deo minora bona nobis dantur, vt alimenta, materia vestimentorum, medicamenta vtilia ad sanitatem, mediantibus agentibus naturalibus, quanto magis bonum præstantius quale est ipsa humana fœlicitas? Hæc eadem argumenta de contemplatiua beatitudine idem confirmare videntur. Quo ad media quibus vtrunq; ex his præclarissimis bonis assequi possumus; vnum est ipsa veritas, vt vim electiuã nostram rectè dirigere valeat. Alterum est habitus virtutis, quo acquisito non solum sine difficultate, ea, quæ moralis philosophiæ sunt,rectè operamur, verum etiam admirabili voluptate, atq; honestate ad ea,quæ contemplatiua largitur, vsq; ad primam veritatem,miro ordine, atq; inexplicabili tum gaudio, tum facilitate conscendimus. De veritate si ad Platonem recurramus,sententia illius huiusmodi est Quinto de legibus.

Ratio secunda. *Eãdẽ rationes probant fœlicitatẽ cõtemplatiuã à Deo prouenire.* *Quod media quib⁹ vtraq; fœlicitas acquiritur sunt veritas et habitus virtutis.* *Platonis authoritates.*

Veritas profectò tum Dijs tum hominibus Dux omnium est bonorum,cuius,qui fœlix,beatusq;futurus est,statim ab initio particeps esse debet:vt in veritate plurimum temporis agat. De virtute vero,quæ animi pulchritudo est, à Deo solo in persona Socratis petitur in fine illius Dialogi,qui Phędrus aut de pulchro inscribitur.

Oratio Socratis eo in loco est hæc. O amice Pan & alij omnes qui locum hũc colitis Dij,date mihi,vt pulcher intus efficiar,& quæcunq; extrinsecus habeo, intrinsecis sint amiça. Diuitem autem sapientem solum existimem. Tantum vero mihi sit auri,quãtum nec ferre, nec ducere queat alius,

nisi

nisi vir temperans. Si Aristotelis verba, tum de veritate, tum de virtute perpendamus, atq; exquisitè consideremus, rectè, ac piè de eisdem dicta, quemadmodum, & Plato eius Præceptor, reperiemus. Aristoteles etenim primo de moribus capite sexto in principio, se excusans, si sententiam Platonis amici sui de bono vniuersali, & exemplari ex animis philosophantium tollere aggrediatur, inquit sanctum esse in honore, veritatem amicis præferre: vbi vtens illa dictione, Sanctum, nobis innuit, propterea ueritas omnibus præponenda; quia ad sanctitatem; & animi munditiam à uitijs, & ab ignorãtia; & ad eiusdem ueram pulchritudinem nos dirigit, ut ipsi Deo placeamus. in quibus duobus, scilicet in animi munditia à uitijs, & uera eiusdem pulchritudine, sanctitas ipsa consistere uidetur. De uirtute uero idem philosophus, ea nos Dei gratiam consequi, asserit decimo de Moribus, quia merito uirtutis animo, per quem Deo cognati sumus, pulchri euadimus. Hæc autem, ut diuinæ pulchritudini similis existens Deo grata euadit, unde Epictetus Stoicus in quo uirtutes in summo reperiebantur, de se ipso dicere solebat.

Aristotelis autho ritates.

Seruus Epictetus eram, qui corpore mancus,
Pauperie pressus carus eram superis.

Nõ minus itaq; piè, quàm uerè de uita perfecta tum actiua, tum contemplatiua, ac de medijs potissimis illarum in morali Philosophia statuitur à Philosophantium Principibus, ita, ut horum Doctrina tum ad bonos mores, tum etiam ad ipsam diuinam pietatem maximè conferat.

Oeconomicæ utilitas ostenditur, qua ad Dei cultum dirigamur. Cap. VII.

QVantum deinceps ad Oeconomicam attinet, Aristoteles de causis, unde ortum duxerit uiri, ac uxoris coniunctio, uerba faciẽs, dicit, imprimis duplicis finis causa origi-

Duplex finis ob quẽ maris, ac fœminæ cõiunctio facta fuit

originem habere Maris, & fœminæ coniunctionem; videlicet, vt per per generationem filiorum in illis ſint, vt euenit de cæteris animalibus, vbi diſtinctio maris, & fœminæ adeſt; alter vero, vt bene ſint ſibi ipſis mutuo adiuuando. Deinde quantum ad cauſam vnde motus, Dei prouidentiam exiſtere dicit. Verba Philoſophi ſunt. Sic ab ipſo Deo vtriuſque & maris, & fœminæ natura ad ſocietatem prouiſa, atque inſtituta eſt: hæc enim ipſa in eo diſtincta ſunt, quod non omnia ad eaſdem res vtilem habent vim, ſed nonnulla ad contrarias quidem, attamen quæ eundem finem ſpectent eodemq; contendant; nam eorum alterum imbecillius effecit; vt illud eſſet magis ad cauendum idoneum ob timiditatem; hoc ad propulſandum, atque vlciſcendum ob fortitudinem, & hoc quidẽ ea foris ſuppeditare, quæ neceſſaria ſunt, illud autem intus eadem conſeruare, & quæ ſequuntur. Ecce igitur, quòd Philoſophi à Deo confitentur uiri, & uxoris coniunctionem, quemadmodum etiam in diuinis literis, ac catholicis didicimus. Plato in 10. libro de legibus ſtatuit patrem, & matrem, & auos à filijs honorandos eſſe, neque iniuria ullo modo afficiendos? propterea quòd Deus preces parentum, ut iuſtus exaudiat, cum parentes mala filijs precantur, aut bona. Lex itaque Dei iubet patrem & matrem à filijs honorari. Quod ſi quis obijciat, dicens, officium filiorum, eſſe patres honorare, ac eiſdem obedire, & opem ferre, quotieſcunque rite, ac prout veros decet parentes, viuunt. huic obiectioni tum Epictetus, tum Simplicius ita reſpondent. Quod ſi pater agat perperam, patris tamen habitum non diſſoluit eius actio praua; Nam illud naturale eſt, non uoluntarium. Itaque licet malus fuerit pater, ei paterna tamen officia præſtanda ſunt. Oportet ergo penitus eius curam habere? tum quia cauſa poſt Deum extitit, ut ſimus; tum quoniam eius diligentia, & charitate educati ſumus, & in hunc uſque diem viximus. Ad hæc ſicut à parentibus cu ram, & obſequium ueluti mutuo accepimus reddere cum fauore

Coniunctionem maris et fæminæ à Deo factã eſſe.

Filios patrem & matrem honorare debere.

Obiectio

Obiectionis diſſolutio.

fauore ipsis grate decet, eorumq; iussis prompte obsequi tenemur omnibus, quæcunque ad animi vitium nos non impellunt.

Ciuilis facultatis vtilitas ante oculos ponitur ad Deum agnoscendum faciens. Cap, VIII.

TErtio loco de ciuilis facultatis vtilitabus, vt bene, pieq; ab omnibus uiuatur, si Platonis libros de Repub. legamus, sciemus omnem facultatem, ac potestatem à Deo esse. In tertio etenim libro uersus finem. Hæc ipsius uerba sunt. Estis utique omnes in Ciuitate tamquam fratres (sic enim dicemus apud eos fabulantes, sed cum Deus formaret: quicunque uestrum ad imperandum idonei nati sunt, aurum in eorum generatione ipsis admiscuit? propter quod honorabilissimi sunt; Illis autem qui ad auxiliandum, argentum indidit; Ferrum denique, atq; æs agricolis, atq; alijs opificibus. Aristoteles etiam in libris Politicorum asserit, alios nasci Natura Dominos, alios Natura seruos: At Cœlum, & Natura à Deo dependent xij. Diuinorũ. ergo ex horum maximorum Philosophorum sententia, quemadmodum etiam in diuinis literis dicitur, Omnis Potestas à Deo est, & qui potestati resistit, Deo resistit. Quamobrem præclarissimos viros Principes & qui Rempublicam rectè, fęliciterq; administrare debent, in primis decet, diuino cultui deditos esse, & in ipso erudiri. quod Plato quidem exemplo Regum Persarum in Alcibiade primo, vel de Natura humana, vtiq; confirmat, necnon exemplis, tum Ægyptiorum, tum plurimarum græcarum Ciuitatum in Dialogo illo, qui ciuilis, vel de Regno inscribitur; vbi Reges Sacerdotes esse dicit. Aristoteles vero his rationibus Principi, & Regi persuadet, vt Deum colat; tum quia hoc pacto minus formidabunt Populi, ne quid contra Iustitiam fiat, si ipsum Religioni deditum existimabunt, ac Deorum timorem habere; tum quia minus contra illum audebunt insurgere, quasi Deos habeãt propi-

Potestatem omnẽ à Deo esse.

Locus Platonis

Locus Aristotelis.

Locus Theologia.

Principes Viros diuino cultui deditos esse debere.

Locus Platonis

Rationes Aristotelis.

tios, & fauentes. Numma Pompilius secũdus Romanorum Rex ab omnibus unanimiter electus fuit, ob summam eius Iustitiam, ac Religionem, quibus uirtutibus xliij. annis Regnum illud rectè, pieq; seruauit. Quod si gentiles religione Regna custodiri arbitrati sunt, quanto magis apud Catholicos, & in uera religione instructos id uerum erit? Nisi etenim Dominus custodierit Ciuitatem, frustra uigilat qui custodit eam.

Quid fructus ex legali potentia acquiratur quod ad Dei cultum perducat & ad animos bonis moribus informandos. Cap. IX.

DEmum quantum ad legalem potentiam attinet; cum lex præceptio ex unaquaq; uirtute elicita, ex Aristotelis sententia Quinto de Moribus, existat; & uerus legislator ad uirtutem respicere debeat, teste Platone 12. de legibus; ut uidelicet Ciues bonos & uirtute præditos reddat, utq; prudentes, iustos, fortes, & temperatos. & uirtus præcipue diuina sorte, idest diuina gratia acquiratur? cui dubium quin lex diuina sit, atque admiranda secundũ horum Principum Philosophorũ sententiã. Et propterea nõ temere lex nomen menti proximum possidet. νόος enim mentem νόμος uero legem, quemadmodum præclare ab eodem Platone in eodem libro dictum est. Ex quo præclaro nomine, quod menti conforme cernitur, idem Philosophus Iudici persuadet, ut leges mente complectatur, & eas in ea conseruet; si de iusto, & iniusto recte iudicaturus est. De custode legum idem Plato in eodem libro inquit, quod ipse diuinus sit, diuinisq; studijs operam dederit. In Theæteto, de iustitia hæc dicit. Deus numquàm, & nullo modo iniustus est sed quàm iustissimus, totam uidelicet Iustitiæ complexus potestatem, nihilq; illi similius quàm iustissimus homo. Ex his itaque patere arbitror, omnes philosophiæ actiuæ partes, non tantum ad animos

mos hominum bonis moribus informandos conducere, verumetiam diuinam pietatem oſtendere.

Dicendorum ordo proponitur, & eius ratio redditur. Cap. X.

COnſequens modo eſt, vt ad philoſophiæ contemplatiuæ partes accedamus; ac eaſdem non ſolum ad Deum nos cognoſcendum manuducere, ac eius diuina opera; verumetiam ad omnes virtutes, vſque ad diuinum cultum promouere; atque ardenter inflammare vt omni ex parte Philoſophum Catholicæ fidei, non ſolum non repugnare; ſed potius inſeruire prorſus appareat.

Exordiamur itaque ab ea, quæ naturalis dicitur: propterea quòd res illi ſubiectæ, ſubſtantiæ naturales qualitatibus ſenſibilibus, ac viſibilibus præditæ exiſtant: ex ijs ad diuinas, ac inuiſibiles, & omnino ad ipſum Deum intelligēdum philoſophantes aſcendere poſſunt, quemadmodum teſtatur, non ſolum Paulus Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos capite primo; verumetiam nos edocet Plato exemplo homi nis in ſpelunca poſiti, & ligati; ſic, vt potius rerum vmbras, quàm res ipſas intueatur. Et quemadmodum etiam à Peripateticis conceditur; cum ipſorum ſapientiam ab ordine addiſcendi poſt cognitionem naturalium Metaphyſicem nominent. Hoc idem ex nonnullis veritatibus; primo ad Deum & ſubſtantias ſeparatas pertinentibus à me confirmatur; ſecundo aliquibus alijs ad animam noſtram ſpectantibus.

Concluſiones aliquot proponuntur ad diuina ſpectantes ex Phyſiologia depromptæ. Cap. XI.

QVantum itaque ad concluſiones diuinorum attinet prima concluſio, quæ nobis ope naturalis philoſophiæ innoteſcere poteſt, ſit eiuſmodi. Deum eſſe primum, ac ſupremum motorem omnium rerum mobilium: cum ipſe minime moueatur. Secunda ſit hæc. Deus, & intelligentiæ *Prima cōcluſio* *Secunda cōcluſio.*

extra Cœlum sunt, ita vt non sint nata esse in loco, neque tempus ipsa faciat senescere: Deinde sunt inalterabilia, & impassibilia, optimam habentia vitam,& per se sufficientissimam, totoque æuo perseuerant. Tertia à Deo communicatum est esse, & viuere; his quidem exactius; his vero obscurius. Penultima: Deus motu diurno causa ordinis rerum generabilium est. Intelligentiæ vero orbes motu quodammodo,& ratione Diametri Mundi opposito mouentes, cum stellis Planetarũ cum circulo obliquo, præsertim solis, causæ, cur vicissime res generentur, & corrumpatur. Vltima Deus rerum omnium Prouidentiam habet.

Tertia cõclusio.

Quarta cõclusio.

Quinta cõclusio.

Prima Physica conclusio diligentissime explanatur, scilicet Deum esse mobilium primum immobilem motorem. Cap. XII.

PRima conclusio ab Aristotele ipso demonstratur octauo Physicorum via motus, quoniam cũ omne quod mouetur ab alio moueatur, neque detur processus in infinitum, proinde deueniendum est ad vnum primum Motorem, qui à nullo alio moueatur. Ita etiam via motus illum reperit Plato 10. de legibus. quod etiam Deus sit omninò immobilis, aduersus Poetas fingentes ipsum mutari de forma in formam, ab eodem Platone demonstratur talis, in secundo de Republica: quam rationem etiam admittit Aristoteles primo Cæli. quæ argumentatio ita procedit: Si Deus mutatur; aut ab alio; aut à se ipso; sed neutro modo fieri potest: ergo nullo pacto mutabilis est. Non potest quidem ab alio mutari: quia istud potentius ac præstantius Deo existeret; At nihil melius, aut potentius Deo est, neque à se ipso mutari valet: quia si se ipsum mutaret; aut in melius, aut in deterius; At non datur res, quæ Deo sit melior; neque ulla res est, quę in deterius mutari expetat. Theologi etiã doctores sancti, inter alias uias, uia hac motus utuntur; ut Deum esse confirment,

Ratio Aristotelis et Platonis.

Theologorũ ratio.

ment, ut uidere est apud Diuum Thomam in prima parte summę in quæstione secunda articulo tertio. Similiter statuunt Deum esse immobilem; primo quidem authoritate diuinæ scripturæ: in Melachiam etenim dicit; Ego sum Deus, & non mutor. Secundo vero ratione: quia Deus actus purus existit: quod mutatur cōposita res est ex parte entis in potentia & ex termino motus, qui illi per motum coniungitur. quemadmodum ab eodem Diuo Thoma dictum fuit in prima parte summæ quæstione 9. articulo primo.

Secunda Physica conclusio ad diuina pertinens, aperitur. Cap. XIII.

SEcunda conclusio est Aristotelis primo Cæli contextu 100. cuius partes multæ sunt, aliquæ quidem negantes, aliæ vero adfirmantes. Prima pars negans est hæc. Deus, & aliæ Intelligentiæ extra Cælum sunt, id est non continentur ab aliquo corpore cælesti. prima ratio est: quoniam non sunt corpus, nec virtus in corpore. Quæ vero in loco sunt: aut sunt corpora; aut virtutes in corpore. Secunda argumentatio ita formari potest. Si suprema sphæra in loco minime est: & tamen mouetur secundum locum: ergo tanto minus sunt in loco Deus, & intelligentiæ, quæ corporum cælestiū motrices sunt; & non mouentur, quemadmodum 8. Physicorum ab Aristotele demonstratur. Fides nostra Deum & intelligentias extra Cælum visibile esse credit. & ita hucusque fides, & philosophi conueniunt: differunt vero quia secundum fidem; Deus, & Angeli in Cælo Empyreo sunt quod philosophi gentiles minime cognouerunt: tum quia sensu non compræhenditur: tum etiam quia de hac catholica veritate, quemadmodum, & de cæteris, illuminati minime fuerunt. Secunda pars negatiua eiusdem conclusionis est, quòd diuina entia non patiuntur a tempore, & sunt inalterabilia, cuius ratio est, propterea quod carent

Primæ partis negantis ratio prima

Ratio secunda.

Quousq; conueniat fides cum philosophia.

Secundæ partis ratio.

materia, & contrarietatibus : merito quorum res materiales, & contrarietatis participes, a tempore patiuntur. & alterabilia exiſtunt. In hoc etiam Philoſophi cum catholica doctrina conſentiunt; ſecundum quam Angeli creaturæ ſpirituales ſunt: & in æternum permanebunt. Tertia eſt huiuſmodi. præclariſſima entia optimam vitam habent, & per ſe ſufficientiſſimam viuunt: etenim vita beata, quæ, quantum ad intelligentias pertinet, in intellectione Dei per eſſentiam conſiſtit. Quantum vero ad ipſum Deum ſpectare videtur, ipſe in ſui intellectione fælix, ac beatus exiſtit. quemadmodum inferius, cùm nonnullas vtilitates Metaphyſices explicabimus, à me demōſtrabitur: Entia uitam optimam, ac per ſe ſufficientiſſimam habere: hinc patere arbitror. Deus & natura nihil fruſtra faciunt; ſed omnia alicuius finis gratia: & quanto res præclarior exiſtit eo præclarior etiam eius finis eſt: cum Deus optima res ſit: & poſt ipſum intelligentiæ: Ergo horum entium finis etiam optimus eſſe certo ſcitur. In hac etiam philoſophi cum veritatibus noſtræ fidei conſentiunt: fide etenim tenemus, Deum perpetuo in intellectione ſui eſſe felicem & Angelos in Dei uiſione. Quarta & ultima pars eſt; Deum, & ſubſtantias ſeparatas toto æuo beatæ uiuere: cuius ratio eſt; quoniam cum à tempore non menſurentur, non poſſunt ab illa uita impediri, nec diſtrahi. Sic etiam philoſophi noſtri confitentur.

Tertia pars confirmatur

Quarta pars exponitur.

Tertia Phyſica concluſio de diuinis agens pulchre declaratur, & confirmatur. Cap. XIIII.

TErtia concluſio principalis huiuſmodi eſt. A primo, ideſt a Deo, cōmunicatum eſt eſſe, & uiuere omnibus, ijs quidem clarius, ijs uero obſcurius. Habetur etiam hoc in eodem contextu 100. quod hac argumentatione a me probatur. Si res a Deo eſſe, & uiuere minime habent; aut id euenit; quia pręſtantiæ ipſius Dei minime conueniat: aut quia

Primæ partis ratio pulchra.

quia repugnet ipſis rebus. aut Deo, & rebus ſimul. Non eſt dicendum id Deo non conuenire: quoniam cùm ipſe ſit ſumma, & prima bonitas: & bonum eſt communicatiuum ſui, ut patet de rebus omnibus vniuerſi, quarum quælibet, quemadmodum aliquo gradu bonitatis particeps eſt, ita futuris rebus eam communicat. Quod ſi id alia, quæ poſt Deum ſunt, præſtare uidentur, quanto magis Deus. ita Plato cauſam finalem aſſignans, quare a prima cauſa Mundus productus fuerit, dicit: quia ipſa bona eſt, & inuidia caret. Theologi ſimiliter aſſerunt Deum in creandis creaturis eius bonitatem illis cõmunicare uoluiſſe. Ex parte rerum ſimiliter illis non repugnat, a Deo habuiſſe eſſe, & uiuere. Quemadmodum etenim ab ipſo, qui Vniuerſi Princeps exiſtit, optime gubernantur, ſicuti filij a genitoribus? cui dubium eſſe poteſt. quin etiam res omnes a Deo bonitatem receperint, & eſſe? Tertio, & poſtremo. Neque Deo, & rebus ſimul acceptis repugnat, illi quidem res produxiſſe; his vero ab illo fuiſſe productas. ſed maxime congruit, in Dei enim gloriam, rerum omnium cum huiuſcemodi admirabili ordine productio, ipſa redundat: rebus vero; quia ſi vt Dei creaturæ gubernantur, ergo ſummo eius amore, & ſumma eius ſapientia. ſic, vt non ſit temendum, aliquam rem ab ipſo vnquam negligi. Quo ad ſecundam partem, quæ erat a Deo clarius, & obſcurius rebus ipſis eſſe, & viuere communicatum fuiſſe. ratio eſt: quia ſic conueniebat conditioni rerum. vt ordo ipſarum, quo ad entitatem, & præſtantiam in Mundo exiſteret, conformiter ordini intelligibili rerum, qui in Deo ipſo eſt. de quo ordine inferius dicetur. Ordo vero in Vniuerſo ad eius eſſentiam, & pulchritudinem neceſſario conducit. Signum huius, quia eo remoto Vniuerſum non eſſet Vniuerſum; ſed Chaos, & confuſio. Ex parte vero Dei. intelligibilis ordinis, & pulchritudinis teſtimonium exiſtit; & eius ſapientiæ; cuius eſt ordinem rebus tribuere. Ex parte noſtri; ordo creaturarum, velut

Secundæ partis ratio.

uelut ſcala, eſt; per quam mente ipſa aſcendimus à cognitione rerum minus bonitatis participantium, ad eas, quæ eiuſdem magis participes ſunt: & eouſque quousq; ad Deum primo cognoſcendum; deinde amandum, ac colendum perducamur, qui bonitas, ac ſapientia exiſtit: Præterea; non ſolum ex ordine cognitarum rerum in Dei cognitionem deuenire poſſumus; uerum etiam beneficio ordinis melius huiuſcemodi rerum omnium, & ipſius Dei præclariſſimas notitias in memoria retinemus? quæ etenim ordinationem habent, ut tùm experientia, tum Ariſtoteles in libro de memoria, & reminiſcentia nos docent, melius in memoria retinentur.

Quarta Phyſicaconcluſio diuina attingens exponitur. Cap. XV.

PEnultima concluſio principalis ſimiliter in duas diuiditur partes, quarum prima eſt hæc. Deus mediante motu diurno omnium ſphærarum cæleſtium, cauſa eſt; ut ſeruetur ordo generationis, & corruptionis. Secunda uero eſt. Deus, mediantibus Intelligentijs orbes cæleſtes econtrario mouentibus ab occaſu in ortum, & præſertim orbem ſolis ſub obliquo Circulo, cauſa eſt generationis, & corruptionis rerum: Accedente etenim ſole ad nos, generationes fiunt rerum præſtantium: & recedente earum corruptio. Et quia cõtinuo ſol accedit, & recedit ſub obliquo circulo; propterea continuo generatio & corruptio permanet: Deus uero, mediante motu diurno orbium cæleſtium ab occaſu in ortum, cauſa huius ordinis exiſtit; Niſi enim orbes cæleſtes; & primo firmamentum motu diurno moueretur a Deo, qui in ſupremo circulo apparet, quoad huiuſcemodi operationem, & motum diurnum, dies, & noctes ordinate ſibi inuicem ſuccedente minimè forent. Et ſi per intellectum, aut imaginationem in ſolo circulo obliquo ſol moueretur, eſſet utique uniuerſa hyems nox una; ſi ita contingat, & æſtas una,

una, dies una; & ut ſimpliciter dicamus, uniuerſus annus, unum diei, noctisq; interuallũ hoc eſt, vna die nocteq; conſtitutum. quemadmodum dictum eſt a Ioanne Gramatico in ſecundo de ortu, & interitu in Commentario 44.

Quinta Naturalis concluſio diuina amplectens, & dilucidatur & roboratur. Cap. XVI.

POſtrema, ac ultima concluſio, quæ ex naturali philoſophia habetur de ipſo Deo, eſt hæc; ipſum rerum omnium prouidentiam habere, ex Ariſtotelis ſententia. Primo etenim phyſicorum contextu 81. ex appetitu materiæ, quo ipſa formam, tanquam quoddam diuinum bonũ, & appetibile expetit, colligit Themiſtius ſecundum Ariſtotelem Dei prouidentiam. Iſte enim materiæ appetitus docet, Deum ordinaſſe materiam ad formas viciſſim ſuſcipiendas: vt corruptione vnius: & alterius generatione, hic continuo generabilia, & corruptibilia ſeruentur. vt dicitur a Diuo Thoma eo in loco, vbi quid ille appetitus ſit, exponit. aut ſaltem indicium certiſſimum huiuſcemodi diuinæ ordinationis exiſtit. Primo Methęororum capite ſecundo, reddens Ariſtoteles cauſam, quare Mundus iſte elementaris contagat Mundum ſuperiorem. dicit, vt omnis huius Mundi inferioris virtus ab illo gubernetur. Ecce inquit Alexander eo in loco; quod, ſecundum Ariſtotelis doctrinam, Deus harum rerum inferiorum prouidentiam habet. Secundo vero de Anima Contextu 34. dicit idem Ariſtoteles. propterea ipſis viuentibus tributam eſſe vim gignendi, vt ipſa per ſucceſſionem, in alijs, & in ſpecie ſeruentur. cùm id in ſe ipſis conſequi minime valeant: vbi Auerroes dicit, Sollicitudo diuina, cùm non potuerit facere ipſum viuens permanere ſecundum Indiuiduum, miſerta eſt in dando ei virtutem, qua poteſt permanere in ſpecie, vbi animaduertendum eſt Deum, non potuiſſe facere hæc inferiora in ſe ipſis ſemper permanere, non quidem ex aliquo ſui defectu, ſed quia

Primus locus Ariſtotelis.

Secũdus locus.

Tertius locus.

quia contradictionem implicabat, hæc futura esse corruptibilia: vt vniuersum omne genus rerum contineret, & non corrumpi idem ex 4. de partibus animalium capite x. clarissimè haberi potest, vbi ratio assignatur? quare est; quod, inter omnia animalia, solus homo erectæ staturæ sit. & dicitur: quia ipse solus intellectu præditus est. vnde vt intelligere diuina possit, ea prius intueri oculis corporis, & circa opera eius humana sapere valeat: propterea rationi consentaneum fuit, vt ad diuina contemplanda promptè se haberet, vt ad inferiora etiam perspicienda: quæ duo facillimè ex huiuscemodi erecta statura obtinuit. Ergo patet Deum hominis curam optimam habere, & tanto magis illius, quàm cæterarum rerum inferiorum, quanto magis omnium inferiorum homo præstãtissimus existit:&; quemadmodum genera non sunt præter species, neque species præter indiuidua;ita si Deus hominis in specie curam habet, etiam eiusdem prouidentia in singulari habetur. Multa itaque atque præclara sunt ea, in quibus Philosophia naturalis de Deo cum Catholica fide conuenit, & in quibus illi ob humanæ Naturæ imbecillitatem inseruire valet.

Quartus locus.

Veritates aliquot de anima nostra in seipsa vt à Deo est ex physiologia acceptæ proponuntur, quæ catholicæ fidei consentiunt. Cap. XVII.

CONsequens modo est, vt a me demonstretur, hanc eamdem philosophiæ speculatiuæ partem quamplurimas veritates ad animas nostras pertinentes, nobis non tantum, vt philosophantibus, verumetiam, ut Catholicis exponere. Porro ut anima ipsa nostra, qua ratione a Deo, mediantibus causis naturalibus, huic mortali corpori coniungitur, spectari possit. tum etiam, ut uirtutibus perficiatur: atque exornetur. denique, ut tandem pulchrior effecta, ipsi Deo, a quo procreata est, grata magis fiat: ut ob

uir-

virtutum operationes, auxilio ſimul diuinæ gratiæ, eodem Deo, vt ſummo bono, in æternum frui mereatur intercedentibus fide, ſpe, & charitate diuinitus infuſis. Propterea veritates; tùm ad animam ipſam, vt à Deo & natura nobis tribuitur; tum quo ad virtutum genera, quibus informari debet, recenſebo; ac eaſdem ex naturali philoſophia deduci poſſe oſtendam. Quantum itaque ad primum eſſendi modum animæ noſtræ pertinere videtur. quinque ſatis erit, conclusiones ſtatuere; quarum prima ſit hæc. Anima noſtra, vt intelligens à Deo ortum ducit. Secunda ſit hæc. eadem immortalis exiſtit. Tertia, numero multiplicata ſecundum numerum hominum, & humanorum corporum. Quarta. Anima, ex coniunctione cum corpore, non nihil imperfectionis contrahit. Quinta, & vltima. Poſt hanc vitam, à Diuina Iuſtitia, aut præmijs inſignitur, aut punitur; pro vt cum hoc corpore bene aut male ſe geſſit. *Prima cõcluſio. Secunda cõcluſio. Tertia cõcluſio. Quarta cõcluſio. Quinta cõcluſio.*

Prima concluſio demonſtratur. Cap. XVIII.

PRima itaque concluſio (ſi ad Philoſophiam naturalem ipſius Platonis recurramus, quæ præcipue in Timæo continetur) eſt manifeſta. Ibi enim Plato clariſſimè confitetur, animam noſtram à Deo procreatam eſſe, & productam in eodem cratere, in quo etiam, & anima Vniuerſi apud ipſum producta fuit; ideſt ad exemplar animæ Mundi; quæ, ex huius magni Philoſophi ſententia; cuncta viuificat, regit, & mouet; & cuius operationes partim cum corpore communes ſunt, vt mouere, partim propriæ, vt intelligere, & diſcurrere. Ita anima noſtra corpus iſtud regit, viuificat, & mouet; & illius operationes partim communes cum corpore ſunt, vt vegetare ſentire, & mouere, partim propriæ, vt intelligere, & ratiocinari ex quo loco hæ tres veritates ex tanti Philoſophi ſententia clariſſime colliguntur, videlicet animam noſtram à Deo crea- *Platonis authoritas.*

ri. aliquam operationem propriam habere & eſſe immortalem: reliqua vero : quæ ipſe addit de anima mundi. de productione noſtrarũ animarũ ante corpora & alia huiuſcemodi vt falſa & rationi & fidei repugnãtia. Similiter ſi naturalem Philoſophiam Ariſtotelis cõſideremus; animam à Deo oriri luce meridiana clarius videbimus. Nam ſecundo de generatione animalium capite tertio, quoniam anima intellectiua, vt intellectiua, non vtitur in intelligendo parte aliqua corporis, quemadmodum cæteræ inferiores poteſtates; propterea concludens dicit; Reſtat igitur, vt mens ſola extrinſecus accedat; eaque ſola diuina ſit: nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis. Quibus verbis Ariſtoteles nihil aliud ſibi vult, niſi animam noſtram, vt intelligentem, non deduci de non eſſe ad eſſe, quemadmodum formæ materiales de potentia materiæ educuntur; ſed ab extrinſeco conditore, quo cum ipſam cognationem habet. Ita Auguſtinus ſanctus, & alij Doctores catholicæ Eccleſiæ, ex primis capitibus Moyſis in Geneſi, eliciunt; Animam à Deo creari formato corpore; & ſimul in illud iam formatũ infundi. Quam ob rem, ſi iuſte vixerit, ad Deum redit, & corpus ad Terram; ex qua formatum eſt, Idem confirmant, vt videre eſt apud eundem Auguſtinum ſanctum in libro de Geneſi ad litteram. vbi ipſe de anima noſtra, ac eius immortalitate loquitur, capite 9.

Authoritas Ariſtotelis.

Theologorũ authoritates.

Secunda Pſyſiologica concluſio oſtenditur. Cap. XIX.

SEcunda concluſio etiam à naturali philoſophia conformiter catholicæ fidei determinatur, ſcilicet; animam noſtram eſſe immortalem, & remanere corrupto corpore, vt patet: quantum ad Platonem attinet in Phædone, in Phædro, in Timæo, & alibi. una ex Præcipuis eius argumentationibus, quæ huiuſcemodi tùm ueram, tùm piam ſententiam confirmat, hunc in modum formari poteſt. Anima noſtra diuinorum cognitionem expetit, & quo magis ab

Platonis authoritas.

1. Ratio.

ab his rebus corporeis abſtrahitur, eò melius, & ſincerius aliquid illorum percipit. ergo diuina ac immortalis eſt, & à corpore ſeiuncta, optime etiam illa intelliget: At antecedens uerum eſt. ergo, & cõſequens. Coniunctum deducitur. quantum quidem ad deſiderium, quia alioquin fruſtra animæ noſtræ inditum eſſet, niſi aliquando perfecte diuina intellecturi ſimus; & cum id nobis in hac uita minime contingat, ob infinita pæne corporis impedimenta, ſequitur quòd in alia uita conſequemur. Quantum uero ad cognitionem aliquam illorum per exceſſum mentis, id ſummi experiuntur philoſophantes, ut Mercurius termaximus de ſe ipſo in principio Pimandri aſſerit. & ut de Platone refert Ariſtoteles in libro de philoſophia, ſeu Theologia myſtica Ægyptiorum, & Aſſyriorum. Ad hæc Plotinus de ſe ipſo in 8. libro quartę Æneadis capitulo primo, cuius uerba ſunt hæc. Sæpæ quidem experrectus è corpore ad me ipſum, & extra cætera poſitus, intraque me receptus, pulchritudinem intueor admirandã; tunc confido quam maxime ſortis me eſſe præſtantioris. Poteſt etiam hoc idem ratione comprobari, propterea quod ſi, cum inforti cogitatione alicuius ſumus, amicum prætereuntem minime uidemus: & cogitatio de diuinis ob ſummam præſtantiam, & admirabilis uoluptatis concomitantiam, fortiſſima omnium cogitationum eſt? quid mirum, ſi nos à cogitatione omnis alterius, & inferioris rei, tunc diſtrahamur; conſopitis, & quaſi ligatis omnibus facultatibus animæ ſentientibus, ac ipſa motrice; ita ut neque etiam reſpiremus. Vnde magna deinceps reſpiratione opus eſt; ut muneri moderatarum reſpirationum ſatiſfaciamus: extra ſpirando halitus cordis nimis excalefactos, & aerem frigidum pro cordis calore moderando, intus ſpirando. Ratio Ariſtotelis. eſt hæc, & hoc pacto ab ipſo formatur. Si anima habet aliquam operationem propriã eſt ſeparabilis, ac diuina: Sed anima noſtra ut intelligens operationem propriam habet, ergo anima noſtra, ut intel-

2. Ratio Ariſtotelis.

ligens separabilis, & diuina existit. Maior est eiusdem philosophi primo de Anima contextu 13. Minor atque conclusio etiam ipsius sunt, loco superius citato. uidelicet primo de Generatione animalium capite tertio. Maior probatur propterea quia, si anima pænitus mortalis existeret, quo ad omnes etiam eius operationes, ob partem materialem per quam posset esse & non esse, materialis existeret. præterquam quod, si aliquam ex eius operationibus sine corpore edit, separate operari poterit; neque frustra erit. Minor probatur dupliciter. primo quidem ab Aristotele tertio de Anima Contextu septimo: quia si intellectio fieret mediante parte organica, sicut, exempli gratia, uisio mediante oculo, & auditio mediantibus auribus læderetur ab excellenti intelligibili. quemadmodum sensatio ab excedente obiecto læso organo. Sed non læditur intellectio, læsa ulla parte corporis: ergo intellectus pars animæ organica minime est. Id quod etiam hæc alia ratione confirmari po-
3. *Ratio.* test. Si intellectus noster pars organica, & materialis existeret, particeps conditionum materię esset, & partium animæ materialium: materiæ etenim est, formas suas particulariter, & signate recipere: sensuum particulariter, & signate recipere, & per illas species res in particulari cognoscere. At intellectus noster per se particularium simulachra non recipit, neque particulariter intelligit: nisi ope sensus, sed recipit species abstracte representantes in vniuersali, & abstractè intelligit. Ergo non est virtus materialis, & organica sed abstracta, & à materia immunis. Argumentatio Aristotelis consimilis esse videtur rationi ipsius Platonis in Dialogo illo, qui dicitur Phædrus vel de Pulchro, quæ huiuscemodi est.

Quod per se mouetur, semper mouetur, & ita sempiternum existit. Sed omnis anima, scilicet humana per se mouetur idest, libere corpori dominans, non autem, vt animæ brutorum, quæ potius in suis operationibus à corporis tempe-

temperie ducuntur, igitur omnis anima humana perpetuo suis motibus, scilicet intellectione & volitione mouetur, & ita est immortalis.

Tertia conclusio explanatur. Cap. XX.

TErtia conclusio sic habet anima nostra intellectiua est numero multiplex secundum numerum hominum. In hac sane tum vera, tum recta, ac pia veritate Plato etiam, & Aristoteles conueniunt. Plato quidem in Timæo dicit, Animas nostras à Deo productas esse secundũ numerum Astrorum. In Phædone vult, bonorum animas ad cælum redire, & ibi fæliciter viuere; malorum vero ad loca sub Terra, & ibi puniri. At si vna esset, vt finxit Auerroes, semper eadem manens cum hominibus, qui hic in vita remanent, degeret; Aristoteles vero quamquam animæ nostræ multitudinem nullibi in sua philosophia aperte nobis indicet; potest nihilominus ex eius doctrina deduci his tribus rationibus. quarum prima sit hæc. Illa forma quæ materiæ sensibili coniungitur, ita vt totam minime contineat; & indissolubiliter, numero multiplex est, aut esse potest sub eadem specie Hæc est ipsius in primo de Cælo, vbi quærit. Vtrum Mundus sit numero unus, aut multiplex, & concludit ipsum esse unum numero: propterea quod uniuersam suam materiã occupat indissolubiliter. Sed anima humana corpori huic sensibili coniungitur, ita ut non occupet uniuersam materiam; nam anima Eudemij tantum eius corpus occupat, & continet, & anima mea solum modo meum & sic de cæteris. Anima igitur humana est multiplicata numero secundum numerum corporum humanorum. Secunda argumentatio sit ista. Illa omnia, quæ ita apparent in omnibus, aut in multis, ponenda sunt rationabiliter. Sed omnis alia forma siue sit coniuncta corpori corruptibili, siue æterno multiplex numero existit secundum numerum corporum,

Authoritas Platonis.

Ex Aristotelis sẽtentia prima ratio

2. Ratio.

porum. Ergo ita etiam poni ac statui de anima nostra opus est rationabiliter; quæ actus nostri corporis est. Maior est Aristotelis primo Cæli contextu 102. Minor quantum ad formas inferiores cæteras ab omnibus conceditur; & uidemus quod, ut Aristoteles testatur. Si planta, aut lacerta diuidatur, ubi in una planta erat actu una anima, fiunt tot, quot rami abscissi; sic de lacerta. Quantum ad superiores, intelligentiæ apud Aristotelem sunt tot, quot orbes; prima causa non adnumerata, ut 12. Metaphy. ab eodem & ab Alexandro concluditur, ac determinatur. Tertia ratio sit hæc. Si intellectus noster esset unus numero in omnibus hominibus, cum in Mundo aliquis homo sciens semper sit: sequetur etiam imperitos, qui eumdem intellectum habent, scientiam habere. quod Thesaurum eos latebit, & addiscere erit reminisci, non autem nouam scientiam capere. quemadmodum ad hæc incommoda ego in publicis disputationibus aliquando quemdam, qui hoc Auerrois figmentum tunc disputationis gratia substinere uolebat, deduxi. Quamobrem firmiter etiam ex Aristotelis sententia, animas nostras esse tot numero & credimus, & demonstratiue scimus; quot orbes humani sunt.

3. Ratio.

Quarta Conclusio demonstratur. Cap. XXI.

QVarta & penultima conclusio erat hæc. Anima nostra, ob unionem cum hoc corpore, non nihil imperfectionis contrahit, & non nihil impedimenti ad bene-perfecteque operandum. Id quod probatur, tum authoritate, tum etiam ratione. authoritate quidem imprimis ipsius Platonis, ut in Phædone, & in Timæo uidere est: In Phædone dicitur sic. Impedimenta penè innumerabilia corpus præbet propter necessariam eius alimoniam. Præterea morbi nobis hinc incidentes, inuestigationem veritatis impediunt, cupiditatibus, timoribus, multiplicibusq; imaginibus, multis denique nugis nos implet; atq; alijs id genus pluri-

Authoritas Aristotelis.

plurimis, vt veriſſime dicatur, nihil penſi vmquam, ac veri nobis fermè adferre. In Timæo ab eodem Platone ſtatuitur, neminem ſponte eſſe malum; ſed ob prauum corporis habitum, & rudem educationem. quæ ſententia ita (vt arbitror) intelligenda eſt, ſcilicet neminem ex electione tantũ errare; ſed etiam ex propenſione quadam, ex mala corporis temperie procedente. Inſuper authoritate Ariſtotelis eadem veritas confirmatur. Etenim, quantum ad mores attinet, variantur incitationes ad mutationem temperamenti corporei: vt ipſe confitetur primo de Anima contextu 14. qui abundat bile flaua audax eſt, qui atra timidus. Quantum vero ad intelligentiam ſpectare videtur. Molles carne apti mente, duri carne. inepti mente, ſecundo de Anima Contextu 94. Paulus Apoſtolus, cum ſtimulum carnis ad peccandum ſentiret, appellabat ſuum corpus, mortis corpus dicens? Infælix homo, quis me liberabit è corpore mortis huius? Ratione vero hoc idem demonſtrari poteſt, quia cum corpus hoc noſtrum inſtrumentum animæ ſit; ſi bene diſpoſitum exiſtat, perfecte illi deſeruiet; ſin minus perperam; quemadmodum Artifex, vt excellens Pictor ex arte, exempli gratia, Alexandrum Magnum repreſentabit, aut Helenam, ſi penicillos optimos habeat, ſin minus imperfecte. Atque multoties contingit corpora hominum male contemperata eſſe, ob malum parentum temperamentum, aut loci, aut etiam ex certa aſtrorum diſpoſitione in Natiuitate vigente. Quamobrem præclare etiam Plotinus à materia omne malum oriri vult; & non minus ſcientifice, quam vt vere, Magnanimus indignabatur, cum animam rem ita pręclaram, & ſpeculationibus diuinorum idoneam, eſſe corpori addictam, vt rei imperfectæ, & corruptibili; quod à contemplationibus eam diſtrahit, perſpiciebat. Paulus iterum diuinius de hæc re loquutus eſt, qui diuiniori amore flagrabat, inquiens. Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Sed hic opus eſt primo, nos non latere; ne decipiamur, animam noſtram

Authoritas Platonis.

Pauli apoſtoli authoritas.

ſtram ex eius vnione cum corpore non contrahere impedimenta ad bene operandum, & intelligendum. Vitio namque corporis id nequaquam primo contingit; ſed ob peccatum à primis parentibus commiſſum. quemadmodum Doctores Catholici ex diuinis literis eliciunt, quas Plato, & Ariſtoteles non viderunt; aut ſi viderunt, minime intellexerunt, vt infideles. Secundo animaduertendum eſt temperamentum corporis prauum nos impedire quo ad propenſionem: quia nos ad contrarium propenſos reddit; non quidem cogendo; ſi quidem intellectus, & voluntas cum potentiæ immateriales ſint, non ſubijciuntur per ſe, & proxime cauſis corporeis quemadmodum, & verè, & piè à Diuo Thoma 8. Phyſicorū, & in ſua ſumma, ſicut & alibi determinatur; cui veritati conformiter Zoroaſter locutus eſt, quando ſuis in ſententijs & præceptis dicat, Ne fatum adaugeas, ideſt ne cauſis naturalibus ordine quodam ſe habentibus, vltra uires animæ materiales, & organicas, inſuper intellectum, & uoluntatem eiſdem ſubijcias. Ita nimirum ueritati conformem, & fidei Ptolomæus illam uulgatam ſententiam protulit. Sapiens dominabitur aſtris. Tertio ſciendū eſt, homines ſine gratia conſideratos, liberæ eſſe electionis, quo ad actus virtutum moralium, & ciuilium, quippe qui uitijs opponuntur. Sed quo ad actus meritorios æternæ beatitudinis, ac Deo gratos, opus eſt, ut cum libero arbitrio adſit diuina gratia, quæ per Chriſtum Dominum noſtrum nobis largiatur (nobis tamen conſentientibus) ut actiones promere poſſimus meritorias. quemadmodum uerè, & piè nos docent Doctores ſancti, atque Catholici.

2. Animaduerſio.

3. Animaduerſio.

Quinta concluſio de anima probatur. Cap. XXII.

QVinta, & poſtrema concluſio, quam ex naturali Philoſophia Plato, & Ariſtoteles reperierunt, eſt hæc. Anima noſtra, poſtquam à corpore fuerit ſeparata, aut fæliciter

liciter Deum contemplatur, aut infeliciter viuit,idque non minus ſecundum Naturæ leges quàm diuinas, Si enim Naturæ leges ſpectemus. in corporibus ipſis primis, ac ſimplicibus,in ſupremo loco corpus ipſum cæleſte eſt, velut omniũ præſtantiſſimum. In ſecundo loco deſcendendo, ignis elementaris conſtitutus eſt, qui aere,& cæteris inferioribus nobilior exiſtit. In tertio eſt aer. In quarto aqua, terraque, & eadem in infimo loco, & quaſi, vt materia, quæ deſuper omnem perfectionem recipit, collocata eſt. Ita namq; ratio, & lex naturæ requirit, vt ex animabus noſtris, quæ cum prudentia, iuſtitia ac ſanctitate à corpore caduco ſeparantur, locus illis conueniat, vbi Deus eſt ſapiens iuſtus,ac ſanctus, illoq; ſempiterno tempore fruatur. Illis vero quæ impuræ ſunt, & vitijs obſcuræ, ſicut à iuſtis maximè moribus diſtant, ita nimirum locus infimus, & impurus, & obſcurus eiſdem congruit, vbi ſemper infeliciter viuant, vnàq; torqueantur. Cæterum eorum animæ, qui penitentia ducti ſunt ob commiſſa ſcelera, ſed tamen ſine purgatione, & perfecta ſatisfactione moriuntur, locus purgationis manet. atque ita ſecundum Naturæ leges Plato Paradiſum, Purgatorium, & Infernum confitetur, cum in Phedone, tum in decimo libro de legibus. Ariſtoteles vero horum trium locorum Animæ non meminit in ſua Philoſodhia; verumtamen hæc inde deduci poſſunt.ratione ſumpta à Naturæ legibus, quandoquidem ipſe animas noſtras & remanere poſt corpus confiteatur, & numero multiplicatas exiſtere, quemadmodum ſuperius demonſtratum eſt. Ita lex diuinæ Iuſtitiæ ſecundum catholicam fidem, hæc tria animarum loca ponit, & vlterius limbum Sanctorum Patrum, & limbum puerorum, qui ſine baptiſmo moriuntur. Hæc de veritatibus ad animam noſtram per ſe conſideratam & quatenus a Deo eſt. dicta ſint ſatis.

Ratio cõcluſionis.

De anima vt virtutum generibus informari poteſt, ſermo habetur, ac numerus illarum proponitur.
Cap. XXIII.

MOdo de eadem dicendum eſt, quatenus ipſa omni genere virtutum informari ac perfici poteſt. At quoniam partes animæ virtutibus exornandæ ſunt, aut mente Dei opera ac Deum ipſum contemplamur, & cognoſcimus ope ſenſus, & diſcurſus, aut voluntate in actionibus ad appetitum moderandum ducimur Prudentia, cui, aut deſeruit Iuſtitia, quæ ad appetitum intellectiuum pertinet, ideſt ad ipſam voluntatem, quam etiam vim electiuam nominat, aut fortitudo affectus, & actus appetitus iraſcibilis regendo, aut temperantia gratia ipſius appetitus concupiſcibilis temperandi. Propterea ex naturali philoſophia oſtendam nos cum dirigi, tum inflammari ad omnia hæc virtutum genera.

Ex naturali Phyſiologia ad ſcientiam contemplatoriam, & præcipue ad ſapientiam nos & dirigi, & inflammari. Cap. XXIIII.

QVod autem ex naturali philoſophia cum inflammemur, tum dirigamur nunc oſtendam. Primum ad ſcientiam & virtutem contemplatoriam, præſertim ad ipſam ſapientiam, quæ in Dei cognitione, & fruitione con-
1. *Ratio* ſiſtit. Cum enim cognouerimus omnia bona, quæ ſub luna ſunt interitui obnoxia exiſtere, ſuperiora vero perpetua, diuinaque, ad hæc in nobis eſſe corpus, quod corruptibile eſt, animam verò ſempiternam; merito his terrenis atq; caducis bonis, quantum neceſſitas poſtulat, vtemur, & ad ſupremum inde, ſempiternumque bonum cognoſcendum, amandum, ac imitandum omnibus, tum internis, tum externis actibus, toto animo conuertemur; ſcilicet ipſo tan-

dem

dem vna cum diuinis mentibus feliciter frui nobis diuina gratia fauente & ſupernaturalibus adiuti virtutibus, in æter num liceat. Ex naturalium itaque rerum cognitione de recto harum rerum inferiorum vſu admonemur, ſimul ac ad eundem ſeruandum accendimur: dein à malis cogitationibus, & operibus, quæ nos remorantur, ac præpediunt, abſtrahimur; & ita ſapientes efficimur. Namque munera, quæ decent præcipue ſapientes, hæc duo præcipue ſunt, ſcilicet recte vti cæteris bonis, quæ vtibilia ſunt, & ad Deum fruibile bonum toto animo, atque ardentiſſimo deſiderio adſpirare. Secũdo cum nobis per philoſophiam naturalem ipſam innoteſcat quamlibet rem naturalem tunc eſſe perfectam, vbi perfectam operationem ſecundum ſuam propriam formam ædit, vt equus cum uelociter currit, & oculus, cum perfectam præſtat uidentibus uiſionem, Hinc concludimus hominem, cum ipſæ humana, ac ciuili uita uiuere poteſt, tunc perfecte, ac feliciter uiuere, quando ita ſecundum rectam rationem uiuat, nam hoc idem eſt, quod uiuere ſecundum uirtutem, & præcipue ſecundum prudentiam longo tempore. Sicut enim neque unus dies, quo ad eſſentiam facit pulcherrimum, atque deſideratum tempus Veris, neque una hirundo nobis, quod dici ſolet, certo uer pollicetur, aut oſtendit; ita neque felix felicitate actiua re uera aliquis eſt, aut exiſtimatur, quod bonum tum pulcherrimum, tum iucundiſſimum eſt; Si unam tantum actionem ſecundum uirtutem ædat. Amplius quoniam ad bene agendum non ſatis eſt intellectum prudentia eſſe informatum, ſed etiam, Iuſtitia ipſam uoluntatem, fortitudine iraſcibilem appetitum, ac temperantia concupiſcibilem. Ad Iuſtitiam itaque perducamur oportet. Iuſtitia in operibus Naturæ cognita, ut pro formarum præſtantia, aut maiori, aut minori, materia melius, aut deterius ab agentibus naturalibus à Deo in finem proprium directis, ut ſagitta à ſagittante, & in corpore noſtro quælibet

[Margin notes: 2. Ratio. (beside "adſpirare. Secũdo…"); 3. Ratio. (beside "tantum actionem… Amplius")]

pars elementa ſimul contemperata & ęqualia continet, non ad pondus, ſed ad iuſtitiam, ideſt non ſecundum arithmeticam æqualitatem, ſed geometricam. Ex his in conceptum, & deſiderium Iuſtitiæ deſtributiuę deuenimus. In cognitionem vero atque amorem iuſtitiæ illius, quę ęqualitate arithmetica utitur, & qua iuſtitia in commutatione utendum eſt, eam in indiuiduis eiuſdem ſpeciei reperientes, ut in omnibus hominibus ea, quę ſpeciei neceſſaria ſunt, adſunt, ut anima cum omnibus facultatibus, & corpus cum omnibus eius partibus. Fortitudinem uero ex naturali philoſophia conſequimur magis quam ex ſola Morali: quia cū ſciamus corpus noſtrum neceſſario morti obnoxium, ob id, quod materię primę ſit particeps, ac elementorum adinuicem pugnantium mortem minime timemus: & ita ad fortitudinem diſponimur. Tandem cum delectabilia ipſi ſenſui ad conſeruationem corporis faciant, illi mediocriter adhibita, & quæ dolorem adferunt ad deſtructionem huius mortalis corporis tendant, hinc fit, ut moderate quæramus aſſueſcere delectabilibus, & circa fugam dolorem adferentium mediocriter intenti ſumus, ac ita demum ad temperantiam ducimur, & excitamur naturalis philoſophiæ ſubſidijs huiuſmodi.

Ope & ſubſidio mathematicarum in vniuerſali, ad diuinorum cognitionem nos deuenire. Cap. XXV.

CVm itaque ſatis de philoſophię naturalis ueritatibus, & fide Chriſtiana, ſimul ac de bonorum Conſenſu morum dictum ſit, in pręſentia docendi methodus expoſtulare uidetur, ut ad ſecundam philoſophiæ contemplatiuę partē accedamus, quę Mathematica dicitur. Hęc porrò, quemadmodum ſuperius explicatum fuit, in plures diſtribuitur partes. At, ut in communi prius omnium Mathematicarū ſcientiarum utilitates tangam, ad Platonem, atque plotinum,

hum, at cęteros platonicos accedo. Hi ſanè unanimiter, quatenus ex eorum ſcriptis colligere licuit, aperte nobis oſtendunt. Mathematicas philoſophantibus conferre, quatenus adſueſcimus harum interuentu conſiderationum abſtractionibus, quamlibet ab animo confictis: ſiquidem quantitas imaginatione dumtaxat, non autem vt ipſa diducatur à ſubiecto, ſcilicet, vt inde demum ad ea, quæ ſecundum rem abſtracta ſunt, erigamur. Quemadmodum enim ex maximè tenebricoſa domo, ille qui exire voluerit, in ea morari prius debet, in qua mediocre lumen ſit, & in lucidiſſimam ſubinde tranſire, ſic Iuuenes anteaquàm à naturalibus ad diuina ducantur, in Mathematicis prius exerceri debent, Ita enim fiet, vt à naturali ſcientia, quæ res naturæ à particulari materia tantum abſtrahit, ad Metaphyſicam, quæ à Platonicis Dialectica nominatur, quæ ſcientia diuinarum rerum, & pœnitus à materia ſeparatarum per medias ſcientias aſcendant: quia mathematicæ magnitudines, & numeros, quæ in rebus ſenſibilibus ſunt, non ſolum abſq; particulari, ſed etiam abſq; ſubiecto tantiſper vniuerſali, conſiderant. Facilius itaque rerum pœnitus ſeparatarum cognitionem capimus, & credimus, Mathematicis diſciplinis aſſueti prius. Si deinde bonum aliud quod nobis hoc philoſophiæ contemplatiuæ genus præſtat, Ex Ariſtotele ſcire volueris, ipſe 12. libro Metaphyſices capite tertio nos illud edocet, nempe ipſum pulchrum. Mathematicæ enim ordinem, commenſurationem, atque fines, ſeu terminos rerum examuſſim contemplantur, quæ ſpecies pulchri ſunt. Si itaque ex pulchritudine rerum, extra Deum exiſtentium, ad diuinam pulchritudinem aſcendere volumus, ad id nobis vtique conferent ipſæ Mathematicæ. Proinde falſum dicunt illi, qui has ſcientias nihil de bono, aut de pulchro docere aiunt. Sed dicet aliquis? Si Mathematica, ad pœnitus ſeparata comprȩhendenda ipſis philoſophantibus conducit, & immediatius quàm naturalis philo-

Subſidij mathematicarum ratio 1.

2. Ratio.

1. Dubitatio.

2. Dubitatio. philoſophia, cur eſt, quod ſapientia, & prima philoſophia non dicitur ab ordine addiſcendi Mathematica, ſed Metaphyſica? Secundo Mathematica abſtrahit à motu; at finem, & bonum motu conſequimur. ergo Mathematicæ de bono minime diſquirunt; ſicut etiam dicitur ab Ariſtotele tertio

1. Solutio Primæ dubitationis. Metaphyſices contextu. 3. Ad primam obiectionem. Si quis cum Platonicis entia Mathematica, ſubſtantias re, & ratione à diuinis, & à naturalibus diſtinctas opinetur; ac ſuſtinere velit, aut dicet diuinorum ſcientiam potiùs Mathematicam dici debere quàm Methaphyſicam, aut ſic appellari potius, quia prius à naturalibus, velut à minus abſtractis exordiendum eſt. Vnde implicitè indicatur ſecundo loco

2. Solutio ad Mathematica entia deueniendum eſſe. Si vero cum Ariſtotele, & reliquis Peripatheticis & cũ veritate ipſa ſtatuamus eaſdem eſſe magnitudines Mathematicas, & naturales quemadmodum in libris Metaphyſicis demonſtratur, tunc facilius prima difficultas tolli poteſt, nempe dicendo, quantitates mathematicas naturalibus rebus inſeruire, & gratia naturalium eſſe conſiderandas. Secundo denominationem fieri à nobiliori & ab eo, quod per ſe tale. Et propterea prima philoſophia potius Metaphyſica, quàm Mathematica dici debuit: præterquam quod ſi denominatio ab eo, quod in re prædominatur, multoties fiat, & in multo pluribus naturalis philoſophia primæ eſt vtilis, quam Mathematica, merito hac etiã ratione potius Metaphyſica, quam Mathemati-

Dubitationis ſecundæ ſolutio Alexandri. ca dici debet. Ad ſecundam inſtantiam reſpondet Alexander tertio Metaphyſices loco citato, dicens bonum eſſe duplex, aliud, quod motum terminat, & motu acquiritur, vt bona quæ artifices per artes conſequuntur ſuis artificioſis operationibus, & agentia naturalia motibus ipſorum naturalibus. Huiuſcemodi bonum in Mathematicis, atque in immobilibus eſſe non poteſt. Aliud eſt bonum quod motum non terminat, ſed contemplationem. Iſtud, ad diſtinctionem illius, pulchrum dicitur ab Ariſtotele 13. Metaphyſices

capite

capite 3. Marcus Antonius Zimara ex Auerroris senten- *Solutio Zimaræ*
tia dicit in Mathematicis non esse bonum per se, sed per accidens quatenus bonum quod cõtemplantur quantitatum, est rerum naturalium. At responsio Alexandri, vim argu- *1. Solutio approbatur.*
menti de medio tollit: obiectio etenim fuit. Mathematicas non esse de bono, propterea quod ipsæ à motu abstrahunt; & bonum motu acquiritur. Præterea in diuinis bonum per se reperitur: & nihilominus non terminat motum proprie dictum, sed motum Metaphoricum, scilicet ipsam contemplationem.

Arithmeticam ad notitiam omnium formarum, & ad intelligentiam Dei maxime conferre. *Cap. XXVII.*

SEquitur modo, vt particularius nonnullas vtilitates cuiuslibet scientiæ Mathematicæ declaremus, & primo ipsius Arithmetices: hæc etenim numerorum scientia existit, principia, atque affectiones ipsorum considerans: numeris vero formæ ipsæ assimilantur, ac definitiones ab Aristotele octauo Metaphysices contextu 9. secundum Alexandri diuisionem; forma vero diuinum quodam est participatione, atque imitatione primo Physicorum 81. Conueniunt autem formæ ac definitiones cum numeris in tribus, quorum primum est, quia quemadmodum numerus diuisibilis est, & ex indiuisibilibus componitur, ita forma ex indiuisibilibus gradibus constat, vt ex generico, & specificis & non in infinitum. Secundum est quemadmodum si numero addas vnam vnitatem aut remoueatur, iam non permanet eadem species numeri, sic si definitæ rei, & essentiæ, aliquis gradus addatur, aut dematur, non remanebit eadem. Tertium est, quia sicut vna species numeri per aliquid est vna, sic fit per aliquid vna, & distincta ab alia erit. Qno pacto autem formas substantiales per similitudines specierum nume-

numerorum intelligemus, numeris ignoratis, circa quos arithmetica versatur? Præterea numerorum scientia in cognitionem Dei, & productionis rerũ nos ducit: nam quemadmodum omnes numerorum species ab vnitate dependẽt, ita omnis numerus specierum substantialium à prima Vnitate substantiali ortum ducit. Verùm numerus de prædicamento quantitatis existit; quemadmodum & species suorum numerorum sunt. At Deus vnitas substantialis, aut potius supersubstantialis est, quemadmodum species rerum substantiæ sunt, & licet numerorum vnitas præter numeros non existat, Deus nihilominus præter speciem, & extra species rerum & substantiarum existit. Ex ijs igitur patet, numerorum cognitionem tum ad notitiã omnium formarum à prima dependentium conferre, cum etiam ad intelligentiam ipsius primę formæ, quæ est Deus benedictus.

Geometriam ad animæ & Dei, & aliarum formarum cognitionem non parum conducere. Cap. XXVII.

GEometriæ similiter nonnullæ vtilitates sunt, quarum vna secundum Platonicos aliquos est illa, quæ ex prima Euclidis in primo Elementorum demonstratione colligitur. Quemadmodum etenim super linea recta ope duorum circulorum se inter secantium triangulus æquilaterus constituitur; ita in corpore humano erectę staturæ anima procreatur ope duorum circulorum, videlicet Dei, qui circulo assimilatur, quo ad intellectionem, & ope Cæli, quod circulare est. Dei quidem beneficio, quo ad eius creationem, ope vero Cæli, quia eius motu, & lumine virtus horum inferiorum conseruatur, ac dependet: Anima item nostra quodam pacto ipse triangulo consimilis esse videtur, quia quemadmodum in ipso tres sunt lineæ, ita in anima nostra tres partes, vegetatiua, sensitiua, & intellectiua. Secunda vtilitas Geometricarum cognitionum est, quia quo pacto in eodem

1. Vtilitas geometriæ.

2. Vtilitas.

eodem animali, & in nobis ea pars animę, quæ poſterior eſt ordine compoſitiuo, priores contineat virtute, nõ autem actu, diſtinctè declaratur per ſimilitudinem, ſeu exemplum figurarum. Sicuti figuræ priores, vt duo trianguli virtute, & non actu, in tetragono ſunt, vt ab Ariſtotele declaratur ſecundo de Anima contextu 31. Confert præterea Geometria philoſophis, & theologis ſimul ad intelligendum, quo pacto eadem anima re, & quò ad ſubſtantiam ſit actus corporis organici. Quantum ad inferiores facultates, & partim etiam quomodo extrinſeca, & organica exiſtant. Sicut enim circumferentia circuli, quæ linea vna exiſtens circularis, reſpectu ſpatij interni cõcaua eſt, reſpectu externi conuexa; ita anima noſtra vna ſubſtantia eſt, quo ad intellectũ quidem, extrinſeca, quo vero ad alias partes, intrinſeca. Hoc admirabili exemplo vtitur Ariſtoteles primo de moribus ad Nichomacum capite vltimo. Quantum ad Deum attinet facilius intelligendum, eadem Geometria multiplicẽ vſum prę̨ſtat. Imprimis quidem ope exempli Geometrici comprę̨hẽdimus, quo pacto intellectio Dei circularis exiſtat. Nã quemadmodum linea circularis ab eo puncto indiuiſibili, à quo exoritur, in illud idem, vt in finem terminatur, ita Dei intellectio ab ipſomet qui indiuiſibilis omnino eſt, ſecundum naturam exoritur, & ſe intelligendo intelligit etiã ſe, vt cauſam vnde omnia procedunt, & vt finis, ad quem omnia tendunt, amore, & deſiderio. A principio communicatum eſt eſſe omnibus & omnia ab illo, vt ab amato, & deſiderato mouentur. Secundo exemplo Geometrico intelligere valemus, tum quo pacto omnia in Deo ſint indiuiſibiliter, & ſub vna natura indiuiſibili, & extra quædam diuiſibilia ſint, & quę̨dam indiuiſibilia: tum etiam quomodo idem met Deus, qui indiuiſibilis eſt, & diuiſibilia, & indiuiſibilia intelligat. Nam ſicut in circulo ab vno centro indiuiſibili lineæ omnes procedunt diuiſibiles, atque etiam puncta indiuiſibilia harum linearum, ita Deus, qui indiuiſibi-

3. Vtilitas. (margin, beside "Geometria philoſophis")

4. Vtilitas. (margin, beside "Quantum ad Deum attinet")

4. Vtilitas. (margin, beside "Secundo exemplo Geometrico")

lis eſt diuiſibilia, & materialia produxit, atque etiam indiuiſibilia, & immaterialia, à quibus tamquam Dei miniſtris materialia reguntur, & quemadmodum ſi centrum circuli ſe ipſum intelligeret, indiuiſibili ſua natura conſiderata, vt cauſa, & materialium, & immaterialium, nec in intelligendo aut ſe ipſum, aut alia à rebus externis, vt nos dependeret. Demum ex definitione corporis, circa quod ſtereometria

6. Vtilitas.

verſatur, quod in habendo tres dimenſiones perfectum eſt; Primam, quæ longitudo eſt; mediam, & hæc eſt latitudo, & vltimam, quæ profunditas nominatur, intelligimus rerum perfectionem in tribus conſiſtere, in principio ſcilicet, medio, & fine. Hinc fit, vt intelligamus in Deo optimo, & perfectiſſimo tria exiſtere admirabiliter, videlicet Omnipotentiam, Summam ſapientiam, ac bonitatem. Merito bonitatis cæteris aliquam bonitatis partem elargiri voluit. Beneficio ſapientiæ ordine quodam omnia rite diſponere ſciuit. Poſtremo per omnipotentiam omnia, & bona, & bene inſtituta in lucem prodidit Ob omnipotentiam magnopere timendus, ob maximam ſapientiam præcæteris venerandus, atque admirandus, ob immenſam bonitatem ardentiſſimo amore illi quilibet coniungi debet.

Vnius aſtronomiæ ſubſidio nos ad intelligenda catholica plura adſpirare. Cap. XXVIII.

TErtio loco de aſtronomię vtilitatibus dicendum eſt, & imprimis. Si Cæli enarrant gloriam Dei, id faciunt vt

1. Vtilitas.

cogniti. Cognoſcuntur vero ope aſtronomiæ. ergo Aſtronomia gloriam, quam Cęli enarrant, interpretatur. Secundo

2. Vtilitas.

feſtorum ordo ſanctæ Eccleſiæ pendet ex litteræ dominicalis Aurei numeri, & aliorũ huiuſcemodi notitia eſt aſtronomica. Tertio quo pacto ſanctiſſime, ac Beatiſſime Pater inter

3. Vtilitas.

alia præclariſſima opera ſua Gregorius xiij. hoc etiã agere potuiſſet, quod fuit à Menſe Octobris remouere dies natura-

les

les decem, vt feſtum Paſchatis reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti: Feſtum Natalis eiuſdem. Feſtum Annunciationis Virginis: Natiuitas ſancti Ioannis; ita ſolemnitates aliæ Beatæ Virginis, ſanctorumque Apoſtolorum, in diebus conuenientibus eueniant, cuius oppoſitum prius accidebat? Quo pacto inquam hæc correctio fieri potuiſſet, niſi auxilio Aſtronomiæ.

Scientiam harmonicam nos ad diuinam pietatem excitere. Cap. XXIX.

QVarto ſcientia harmonica, quæ proportiones numerorum in vocibus, & ſonis contemplatur, præterquã quod ab ea dependent Muſicæ partes, quarum illa, quæ Dorica ab Ariſtotele, & Platone dicebatur, nos ad virtutes prouocat, & præſertim ad diuinam pietatem, qualis illa eſt, qua modo Eccleſia vtitur; verum etiam nos admonet propterea Deum harmonicis vocibus & ſonis laudandum, & colendum eſſe hac alia ratione, vt teſtificemur omnibus omnia à Deo harmonicis rationibus procreata fuiſſe; vt tum pulchritudine diuina participarent, tum etiam, vt ex delectatione admirabili facturarum Dei ad diuinam pulchritudinem cognoſcendam, & fruendam admirabilibus voluptatibus, & cognitione, & deſiderio promoueremur. Hoc fortè Plotinus intellexit, cum inquit, vnam præcæteris eſſe viam, & medium ad ſeparata aſcendendi, ipſam videlicet Muſicam. Horum finium gratia Diuinus, ac Regius Propheta dicebat. Laudate eum in ſono Tubę. Laudate eum in Pſalterio, & cithara. Quod vero res Vniuerſi harmonicis rationibus numerorum fabricatę fuerint, præter rationem adductam ex fine cuius cauſa accepta eſt, hac alia confirmari poteſt: quia ſi formæ accidentales vt colores, ſapores, & odores, cum optime ſe habent, & valde ſenſibus placent, ex illarum cauſis harmonice permixtis reſultant. quemadmodum in libro de ſenſu, & ſenſibilibus

Harmonicis rationibus res vniuerſi à Deo creatas eſſe.
1. Ratio.
2. Ratio.

Aristoteles confitetur: quanto magis formæ ipsæ substantiales in materia harmonice dispofita sunt; & illa harmonia
5. *Ratio.* cum tollitur à materia derelinquuntur? Et si quælibet forma substantialis, & eius corpus harmonia quadam à Deo mediantibus causis naturalibus coniunguntur, quanto magis omnes formæ, & species simili ratione harmonica Vniuersum ipsum constituunt, ut optimum omnium rerum productarum existat, optimi, & simplicissimi testimonium?

Ope perspectiuæ quam plurium veritatum diuinarum nos cognitionem acquirere.

Cap. XXX.

POstremo perspectiua etiã ipsa diuinis ueritatibus conferre uidetur, primo; quia ex triplici modo uidendi, obie-
1. *Vtilitas.* ctum uidelicet; aut linea recta, ut ea uidentur, quæ per idem medium actu illuminatum, & perspicuum ante nos existentia intuemur; aut reflexa, ut cum nos ipsos, aut alia in speculo uidemus; aut linea fracta, ut cum baculum partim in aqua existit, & partim extra aquam; quod fractum, seu inclinatum apparet, in conceptum uenimus triplicis uisionis intellectualis, qua nos, ut Deum uidere possumus, manu ducimur. Nam aut intellectione directa, & clara, ut in Patria; aut per speculum, in enigmate, ideſt per cognitionem Creaturarum obscura, & phantasmataria (ut ita loquar) pia, ac uera nihilominus; aut obscura, & aliqua ex parte falsa, qualis fuit intellectio illa qua Gentiles Deum intellexerunt diuersis medijs, suppositionibus interdum falsis utentes. Ergo quatenus à Perspectiua ratio reddetur horum modorum uidendi obiectum sensibile, eatenus admonemur à Theologis, omnium modorum uidendi Deum intelligibiliter assignari posse. Secundo principijs, & rationibus Per-
2. *Vtilitas.* spectiuæ naturalis utitur, cum de Iride loquitur, cuius meminit diuina scriptura, dicens. Iridis apparitionem indiciũ esse

eſſe pacti à Deo ſeruandi cum hominibus, quod fuerat nolle amplius diluuio vniuerſali delere homines, & viuentia Terræ, qui Iris myſtice, vt dicunt Theologi, Chriſtum nobis ſignificat, in quo tres ſunt ſubſtantiæ, hoc eſt diuinitas, anima humana, & corpus humanum, quemadmodum in Iride tres exiſtunt circuli diuerſorum cælorum. Et quemadmodum Iris à viſibili ſole pendet, ita vnio illa trium naturarum ope diuini ſolis facta eſt; & quemadmodum rationibus partim philoſopho naturali cognitis, iris, vt naturalis effectus dignoſcitur, & partim rationibus perſpectiuæ vt idem iris à lineis viſualibus, & radioſis dependet; ita nimirum illa vnio ſuper naturalis, & ſuper perſpectiua à ſolo Deo intelligitur, & deinceps ab illis, quibus à Deo lumine gratiæ reuelatur. Similitudine Iridis qui vnus eſt, & triplex à nonnullis philoſophis, & catholicis ſimul aliquo modo myſterium Dei, vt ipſe eſt vnus, & trinus, innuitur, quod præ cæteris facit Dantes Aldigherius in ſuo magno Poemate Chomicò in tertia parte in fine.

Iridis apparitio cuius rei ſignũ ſit.

Nomine Iridis Chriſtũ intelligere ſcripturam.

Diuinam philoſophiam præcæteris philoſophiæ partibus, ad Deum ipſum nos adducere atque promouere. Cap. XXXI.

SEd accedamus iam ad tertiam philoſophiæ partem, quæ vt omnium aliarum princeps, ac Regina exiſtit, ita Catholicæ doctrinæ præſtantiori, ac eminentiori modo inſeruit. Hac etenim ſcimus, in primis Deum intelligentem eſſe, propterea quod, cum pręſtantiſſimum omnium principium exiſtat, ſi intellectio, quæ omnium operationum optima eſt, illi non conueniret, neq; aliqua alia vtique illi competeret, & ita ens pœnitus ocioſum eſſet. Secundum eandem totam eius ſubſtantiam intellectualem eſſe, & non ratione alicuius partis, vt nos: alioquin Deus non erit omnino & pœnitus optimus, ſed ſecũdum quid, ratione partis ſi intelligen-

1. Vtilitas.

2. Vtilitas.

ligentis, ut nos. Tertio, in seipsum intelligendo beatum esse, non autem in aliqua re externa: tum quia aliquid Deo præstantius foret: Tum etiam quia in Deo esset compositio ipsiusmet Dei intelligentis, & obiecti intelligibilis, & beatifici. At in Deo nulla est compositio, neque secundum Philosophos, neque secundum Catholicam, ac
3. Vtilitas. firmissimam veritatem. Tertiò Deus perpetuo vita viuit beata, simul cum admirabili voluptate. Probatur vtraque pars huius conclusionis, & primo quod perpetuo: tum quia si nos hic qui cum corpore mortali sumus, aliquando, & imperfecte Deum intelligimus, multo magis ipse qui est æternus, & longeomnium intellectuum perfectissimus & in sui intellectione sua consistit beatitudo, perpetuo in se ipso beatus est. Secundo vero, quod eius intellectioni beatificæ admirabilis coniuncta sit delectatio: quia si in nobis operatio quanto perfectior. eo etiam delectabilior est, vt præterita beneficio memoriæ, vt præsens. si rei particularis ob sensum; si futura, ob vim sperandi, infuturũ ita operare; quanto magis intellectio, qua Deus se ipsum intelligit: quæ omnium operationum optima est cum admirabili, cogitationẽ
Vlt. vtilitas. omnem excedente, erit voluptate? Postremo Deus vnus est princeps uniuersi: Nam multorum principatus nihil aliud est, quam confusio, & ordinis perturbatio, & res malè gubernantur. Sphærarum uero cælestium motóres sunt, & ipsi quidem Dij, sed participatione, & uoluntate à primo, eodemque beatissimo intellectu pendent, ut Aristoteles, &
Epilogus dictorum Alexander xij. Metaphysices in fine determinant. Hucusq; igitur ex causa efficiente primã philosophiam ortum duxisse documus, & ad nos eam aduenisse, cum catholicis ueritatibus consentire, demonstratum est. idq; tum ex ea, quam Philosophia definitionem sibi tribuit, tum etiam ex multiplici eius utilitate in communi, & secundum quamlibet eius partem clare deduximus.

Calum-

Calumniarum numerus recenſetur in quibus Philoſophia à theologia diſſentiens prædicatur? Cap. XXXII.

REſtat modo, ut ipſam à nonnullis ex grauioribus calumnijs defendamus, atq; pro uirili facultate uindicemus. Id porro commode præſtabitur illis prius enarratis, ac in medium adductis, ex quarum amotione rerum facile erit unicuique tum pio, tum perito Philoſophanti reliquas tollere, qualis, inter cæteros Doctiſſimos, atque ſumme catholicos uiros, unus eſt Andreas Camutius, Vir non minus morum probitate, ac diuina pietate ſingularis, atque admirabilis, quam ob multam omnium facultatum eruditionem excellentiſſimus. Calumniæ itaque, quibus Philoſophia uitio potius, & ignorantia praue philoſophantium, quam ſui ipſius, quæ rebus & Deo conformatur, calumniæ inquam, quibus obnoxia uiſitur Philoſophia, triplicis generis eſſe uidentur, aut etenim philoſophiæ obijcitur quod malè, atque impiè de Deo ſtatuat, aut de Angelis, ac Dæmonibus, aut de anima noſtra.

Prima calumnia ad Deum attinens proponitur, & ſuis rationibus munitur? Cap. XXXIII.

QVantum ad Deum attinet, primus Philoſophiæ error eſſe videtur de ſcientia Dei. xij. enim Metaphyſices Ariſtoteles & eius Commentator Auerroes ſtatuere videntur, Deũ nihil intelligere extra ſe ipſum: quia cum alia præter Deum, ſi cum ipſo conferantur, vilia exiſtant; & prout res nobilior aut ignobilior eſt, ita etiam ipſa eiuſdem rei ſciẽtia, quando res menſuræ ſcientiæ ſunt: ergo Dei ſcientia vileſceret. Præterea ſi Deus omnia intelligeret, aut eius ſcientia mutaretur de veritate in falſitatẽ, rebus ipſis mutatis: vt de ſcientia noſtra cum ſingularibus applicatur, euenire experimur, aut cuncta ex neceſſitate eſſent, & ſic à rebus in-

(margin: 1. *Ratio.* 2. *Ratio.*)

inferioribus contingentia tollerentur, & à nobis libera electio; ita ut si Deus sciat cras in utero mulieris, uel brutalis fæminæ, hominem, uel brutum procreari debere, non poterit non procreari. Et si sciat, Thomam Cornacchinum, exempli gratia. Medicum pręstantissimum cras lecturum esse, non poterit ipse non legere? Sed hæc falsa, & absurda sunt. Falsa quidem: quoniam agentia impediri possunt quominus effectum intentum consequantur, & nos liberæ electionis sumus. ut patet exemplo continentis hominis, in quo ratio cum appetitu sensitiuo pugnat, & tandem uincit. In incontinente uero è conuerso appetitus uincit & ratio superatur. Absurda uero sunt: propterea quod uniuersum, ut sit omnino perfectum in testimonium summæ, & diuinæ bonitatis, opus est, ut omne genus rerum contineat; æterna in futurum, ut Angeli, & orbes cælestes sunt; inferiora, quæ esse, & non esse possunt; & hominem qui partim immortalis existat quantum ad animam, & mortalis quantum ad corpus. Et quemadmodum inferiora, & ignobiliora ipso homine libera electione carent; Deus uero liber, sed peccare non potest; homo liber, sed potest peccare, sicut etiam Angeli peccare potuerunt. Quare ne falsa, aut absurda cogamur confiteri, melius est (dicunt philosophantes nonnulli, concludere) Deum solum se ipsum intelligere. Tertio eandem, tum falsam, tum impiam opinionem hac argumentatione in addiscentium mētibus adligare contendunt, quemadmodum statuæ Dedali mobiles funibus adligabantur: ut permanerent. Aiunt etenim. Si Deus præter se ipsum etiam alia intelligit, aut in uniuersali, aut in singulari, aut utroque modo. Sed nullo pacto Deo conuenit alia à se ipso intelligere. Ergo alia pœnitus ignorat. Neque enim in uniuersali tantum: quia cum cognitione rerum in uniuersali coire potest ignorantia particularium. Contingit etenim, me scire omnem dualitatem esse parem, & ignorare aliquam esse parem, puta duos nummos in manu socij absconditos, primo

3. Ratio.

de Ar-

de Arte demonſtrandi contextu tertio, & quarto, & ita cum Dei ſcientia ignorantia etiam coincidere poſſet. Neq; ſecundo Deus res in ſingulari cognoſcit quoniam hoc eſt proprium virtutis ſenſitiuæ, & organicæ, hoc eſt materialis. Atque Deus purus eſt intellectus. Neq; tertio modo videlicet, in vniuerſali, & particulari ſimul Deus res dignoſcere poteſt. Namque cognitio fit per ſpeciem ſine materia, in ſingulari quidem per ſpeciem rerum repræſenratiuam in ſingulari; in vniuerſali vero per ſpeciem intelligibilem, quæ res vniuerſaliter repręſentant, & tunc aut iſtæ ſpecies ab æterno in intellectu Dei ſunt, aut de nouo, vt in nobis, a rebus acceptæ. Sed nullo modo ex ijs dici poteſt, ergo Deus nullo pacto alia præter ſe ipſum intelligit. Neq; enim poteſt dici in Deo eſſe ſpecies & conceptus ab æterno, propterea quod ita Deus res compoſita foret ex natura intellectuali, vt potentia: & ex illis ſpeciebus ſpiritualibus, vt ex actibus, & ita haberet partem minus pręſtantem, & magis præſtantem, neque omnino ſimplex, & optimum ens exiſteret. Neque ſecundo modo aſſerendum eſt Deum a rebus ſpecies ſuſcipere, quibus res ipſas dignoſcat, vt nos: alioquin in cognoſcendo a rebus dependeret. Et quantum ad cognitionē intellectiuam opus haberet alio intellectu, qui agens, & opifex exeſteret ſpecierum intelligibilium. Ad hæc, quàm agens, præſtantius patiente ſit, daretur aliquod Deo præſtantius, quod etiam animo fingi minimè poteſt. Siue igitur Deus ex parte ſui conſideratur, ſiue ex parte rerum, ſiue ex parte modorum cognoſcēdi videtur nulla ratione fieri poſſe, vt Deus alia a ſe ipſo intelligat.

Validiſsimis rationibus calumniæ falſitas probatur & ex Ariſtotele, & ex Platone petitis.
Cap. XXXIIII.

VErum, vt ab hac calumnia Philoſophia liberetur, opus eſt primo eam in principibus Philoſophorum contem

plari, in Platone videlicet, ac Aristotele, ex quibus oppositum elicitur. Deinde argumentationibus in contrarium adductis faciendum est satis. Quantum ad Platonem attinet ipse confitetur x. de legibus Deos omnia cognoscere, nihilque eos effugere posse eorum, quæ aut sensu, aut intellectu percipiuntur a nobis, nec obstat si dicatur Platonem eo in loco tamquam legalem philosophum verba fecisse, ut populis persuadendo uidelicet huiuscemodi sententiam ipsi promptiores forent ad leges obseruādas timore diuinæ Prodentiæ, & Iustitiæ, sed re uera Platonem eundem ita non sensisse, non ualet inquam, non ualet hæc impiorum euasio, siue fuga turpis, propterea quod si Deus rerum omnium secundum Platonem opifex est, & recta ratione res fabricatæ sunt, sicut artificiosa ab excellenti Artifice, ergo mediante illarum scientia, nam alioquin, aut praue se haberent, aut casu, & fortuna ita essent. At casus est causa per accidens atque fortuna quæ causas per se præsupponunt nempe naturam, & intellectum. Ergo primum a natura, vel ab intellectu. Non a natura, quod hæc ab intellectu dirigatur. Igitur ab intellectu Dei sciente rerum rationes. Quantum uero ad Aristotelem attinet ipse imprimis pro incoueniēti habet aduersus Empedoclem primo de Anima, Deum pauciora intelligere, quam nos intelligamus. Secundo si Deus ex Aristotelis sententia se ipsum intelligit aut se ipsum tantum, ut Deus, aut ut causam primam omnium efficientem, formalem, & finalem. Si primo modo, ergo imperfecte se intelligit. Si etiam secundo modo, igitur in relatione ad causata, & sic intelligens unum relatiuorum intelligit & aliud. Ergo etiā alia Deus ipse intelligit. Tertio xij. Metaphys. contextu xxxx. secundum Alexandri diuisionem. Bonum Vniuersi duplex est, quemadmodum, & bonum ipsius exercitus: Huius etenim bonum unum est ipse Dux, aliud est ordo, qui ab ordine in animo Ducis existente dependet. Ita nimirum uniuersi bonum est ipse Deus & ordo qui ab ordi-

ne

ne intelligibiliter in Deo regitur. Si ergo ſecundum Ariſto-
telem in Deo eſt ordo intelligibiliter, & ordo eſt rerum ordi-
nabiliũ ordo, ſequitur quod modò intelligibili etiam res ipſę
in eo exiſtant. At quia dicent hic haber,i Deum ſolum, nem-
pe res vniuerſabiter intelligere, proptetea oſtẽdo ipſum etiã
ſingulares res cognoſcere, quia Deus cũ ſit maxime in actu,
cuiuſmodi etiam ſcientia ſingularium eſt; propterea Deus
potius in ſingulari res cognoſcit, vt hac ratione concludit
Auerroes in ſexta diſputatione aduerſus Algazelem, dicens,
ſcientiam Dei magis eſſe ſimilem ſcientiæ indiuiduali quam
ſcientiæ vniuerſali, quod etiam operationi Dei erga hæc cõ-
gruit. Cum enim operatio eius circa ſingularia ſit, vt ſingu-
laris circulatio, & illuminatio, & conſeruatio etiam rerum
ſingularium, & omnia hęc recte ſe habeant, ſequitur quod
a cognoſcente Deo ſint. Itaque ſub quacunque ratione Deus
ſpectetur ipſe omnia cognoſcere conuenit.

Detractorum & calumniantium rationibus radicitus euelluntur ac diſſoluuntur. Cap. XXXV.

MOdo conſequens eſt vt rationibus in contrariũ addu-
ctis reſpondeatur. Ad primam itaque dicatur, ſcientiã
Dei præ cæteris a noſtra differre, quia noſtra eſt cauſata a
rebus, ſcientia vero Dei minime, ſed ipſa rerum cauſa eſt,
ac dum ſe ipſo intelligente intelligit eius entitatem, & boni-
tatem ſub diuerſis quoque gradibus poteſt alijs communica
ri clarius, & obſcurius, & ita cum ſcientia Dei non pendeat
vt noſtra a rebus, propterea non vileſcit. Ariſtoteles igitur
non negabat Deum alia intelligere, ſed modum ſcilicet, non
vt nos. Ad ſecundam eſt dicendum, imprimis ſcientiam &
præſcientiam Dei non imponere neceſſitatem rebus futuris;
quemadmodum enim homo in Turri exiſtens præuidet ho-
minem euntem in deſertum a latronibus occidendum, cum
alioqui non cogat illum illuc proficiſci. Quin imo ſe dum

ille in deſertum tendit, reuerteretur ad locum, vnde diſceſſit idem exiſtens in Turri præuideret eumdem ſaluari, neq; ob hoc cogeret, ipſum regredi, & ſaluari. Secundo reſpondendo ad vim argumenti, dico rerum neceſſitatem duplicē eſſe poſſe, alteram ſimpliciter, & abſolute, quæ rebus competit ex illarum principijs neceſſarijs, ac ita neceſſario propriæ affectiones, a principijs res ſubiectas conſtituentibus fluunt, vt aptitudo ad ridendum in homine ab anima rationali, & hinnibilitas ab anima equi. Alia eſt neceſſitas conditionalis, & ex ſuppoſitione, vt ſi canis currit neceſſario mouetur, & cum hac neceſſitate copulatur etiam contingentia, aut libertas. Sanè primo modo Deus neceſſitatem rebus minime imponit quando minime ſit principium rei compoſitæ conſtitutiuum. At qui ſecundo modo neceſſitatem imponit, & ita ſi ſupponitur Deum præſcire cum determinatione, filium alicui eſſe procreandum in vtero matris, neceſſario procreabitur. Sed ſi poteſt impediri procreatio etiam iſtud cognoſcitur a Deo: ita vt ipſe intelligat neceſſario futura, tamquā neceſſario eueniētia, & contingentia, vt cōtingenter. Quod ſi dicant aduerſarij hac ſolutione nō capimus quo pacto alterum ſaltē ex ijs abſurdum non ſequatur, ſcilicet, aut ſcientiā Dei eſſe mutabilem, aut tolli a rebus contingentiam, & a nobis liberam electionem. Reſpondendum eſt, quod ſi ex hoc inferant. Ergo Deus alia minime intelligit, non tantum impie loquuntur, verum etiam falſa turpiter effutiunt, quemadmodum ſuperius demonſtratum fuit a me, tum authoritatibus Platonis, & Ariſtotelis, & Auerrois, tum etiam rationibus. Sin autem id dicant. imbecillitatem humani ingenij, & humanæ ſapiētiæ confitentes, verè profecto, & modeſte, loquuntur. Plurima ſunt enim apud nos quorum cauſam numquam cognoſcere, nec reddere vllus ex Philoſophantibus potuit, puta qui magnes ferrum trahat, Torpedo manum ſtupore afficiat, Scamonea bilem ducat, & aliorum huiuſcemodi, quæ apud nos ſunt & ſenſibus

bus vnde ortum ducit omnis noſtra humana cognitio expoſita ſint. Quanto minus itaque diuinarum cognitionem aſſequi poſſumus. Pręterea ſi pueri cogitationes, & diſcurſus hominum adultorũ circa agibilia, minime percipiunt & rationes, neque homines imperiti diſcurſus ſapientum & eruditorum, tanto minus hi cogitationes Dei, & quo pacto Deus res intelligat intelligere poterũt cum longe magis ſapiẽs a Deo, quo ad præſtantiam intelligentiæ diſtent, quàm puer a viro, & quàm vir imperitus a perito. Ad tertium, & vltimum argumentum, cum dicebatur. Si Deus alia a ſe ipſo intelligeret, aut vniuerſaliter, aut ſingulariter, imprimis dico cum Auerroe loco ſuperius citato in ſexta diſputatione in Deo eſſe numerum ſcibilium, & ſcientiam Dei numerum ſcibilium continere, ſed longe aliter quàm ſcientia, quę in anima noſtra eſt. Scientia etenim humana dupliciter eſt multiplicata vno modo ſecundum numerum ſcibilium in phantaſia exiſtentium quibus res ſingulariter cognoſcuntur, alio pacto ſecundum numerum ſpecierum intelligibiliũ in intellectu poteſtatis, quibus ſpeciebus vniuerſalia in multis intelligere poſſumus. At ſcientia Dei neutro modo ex ijs numerum ſcibilium continet, ſed ibi eſt numeratio quam compræhendere non poteſt intellectus noſter, niſi intellectus noſter idem eſſet cum intellectu diuino, quod eſt falſum, & impoſſibile quemadmodum dictum eſt ibi ab Auerroe. Secundo ad vim argumenti dicendum in eo vitiũ eſſe in diuidendo propterea quod res a Deo neutro modo eminentiori tamen cognoſcuntur, quam per ſpecies ſenſibilium: Quare concludit argumentatio, cum in ea ab inſufficienti partium enumeratione procedatur. Theologi etiam dicunt, in Deo eſſe rerum omnium Ideas, ſeu rationes, aut exemplaria: non quidem, vt ſpecies re, & ratione diſtinctas ab inuicem, & ab eſſentia Dei, cum Deum actum purum ſicuti, & philoſophi eſſe ſtatuant. Sed modo quodam eminentiſſimo, & inexplicabili: quatenus Deus ſe ipſum

ſum

ſum intelligit in relatione ad alia intelligendo ſuam diuinã eſſentiam, & ſic diuina eſſentia rationem Ideæ habet, non autem vt eadem diuina eſſentia ad ipſum Deum refertur quemadmodum vere, ac piè determinatum eſt à Diuo Thoma in prima parte ſummę in quæſtione xv. articulo primo, & exquiſitiſſime huiuſcemodi veritas ibidem defenditur ab ipſo Thoma, & Caetano atque exponitur.

Secunda calumnia in medium adducitur et ſimul atque rationibus fulcitur. Cap. XXXVI.

SEcunda calumnia quæ philoſophiæ aſcribitur eſt hæc, quod eius ſectatores negent, res à Deo ex nihilo fuiſſe productas. Plato etenim in Timæo aſſerit Deum ex inordinatione ad ordinem res ipſas reduxiſſe. Et ita ſupponit res confuſo modo, & inordinate ab æterno fuiſſe, non autem ex nihilo genitas. Ariſtoteles vero primo Phyſicorum contextu xxxiiij. inquit omnes naturales philoſophos in hac ſententia conuenire, quod ex non ente, ideſt ex nihilo nihil fiat, & inferius tum rationibus ducentibus ad inconuenientia, tum rationibus directe concludentibus in omni re quæ fit prętrequiri materiam demonſtrat. Confirmatur etiam, quia omne quod producendum eſt, aut motu fit, aut generatione quæ motum præſupponit. Motu quidem alterationis circa aliquod vnum ex tribus elementis ſecundum raritatem, & denſitatem, aut circa aliquod medium inter aerem, & aquam, aut inter aerem, & ignem, vt circa vaporem fiebant res ſecundũ Phyſicos primæ ſectæ. Thales etenim Mileſius omnia compoſita naturalia ex aqua denſata, aut rarefacta fieri exiſtimabat, ita vt ſi quis ipſum interrogaſſet, quid eſt terra aut os aut lapis, reſpondiſſet eſſe aquam magis denſatam. Diogenes ex aere rarefacto vel denſato. Heraclitus ex igne ſimiliter denſiori, aut rariori facto. Sic qui vaporem ponebat ex ipſo ſimiliter res fieri credi-

credidit. Inter hos etiam connumeratur Plato ab Ariſtotele primo Phyſicorũ xxxij. niſi quod illi duo principia formalia ponebant rarum, & denſum, & vnum loco materiæ: Plato vero è conuerſo videtur ponere duo ex parte materiæ, cũ eam duplici nomine appellaret magnum, & paruum, & vnum ex parte formæ. Secundum vero Phyſicos ſecundæ ſectæ, compoſita ex pluribus principijs componebantur, quę, aut numero finita erant, vt apud Empedoclem quatuor vocata Elementa, ſcilicet Ignis, Aer, Aqua, & Terra, vt materialia. Agentia autem dixit eſſe amicitiam, & litem, illa quidem congregando huiuſcemodi Elementa ea confundebat, & fiebat Chaos. Si vero lis vincebat amicitiam. Separabantur ab inuicem, & conſtituebatur Mundus quò ad partes maiores, & ſimplices, ex quarum particulis amicitia illas confundente & cum temperamento fiebant mixta, & dominante lite deſtruebantur. Aut principia erant ita plura, vt eſſent numero infinita, quæ aut erant eiuſdem ſubſtantiæ, & indiuiſibilia corpuſcula per vacuum volitantia, & caſu ad conſtitutionem compoſiti concurrebant ſolum differentia figura ordine, & ſitu, quæ fuit opinio Democriti Leucippi, Epicuri, & Lucretij. Aut erant numero, infinita, & in natura differentia ſcilicet infinitæ partes ſimilares olim in quodam Chaos ſimul permixtæ, & deinde ab intellectu diuino ex illo Chaos ſegregabãtur, & congerie ſimul iungebantur vt partes oſſis cum oſſe, partes carnis cũ carne, & ita fiebant partes ſimilares. Deinceps ex ijs ab eodem intellectu congregatis fiebant mixta organica, vt corpora plantarum ſunt, animalium, & hominis. Demum ex Ariſtotelis, & aliorum Peripateticæ, & tertiæ ſectæ opinione res fiunt generatione, cui annectitur motus alterationis, per quam materia ad nouam formam diſponitur. Cum igitur omne quod fit, motu fiat, aut non ſine motu & motus ſit actus entis mobilis, & inter contraria, quæ etiam in ſubiecto recipiuntur, inde conſequitur, quomodocunq; res

res fiant, ex materia præexistente fieri, non autem ex nihilo.

Iaciuntur fundamenta tria quibus acriter detractorum calumniæ pro explodantur, & omnia ex nihilo creata fuisse quomodo intelligendum sit exponitur. Cap. XXXVII.

VT philosophia ab huiuscemodi maximo errore purgetur, imprimis propono hanc distinctionem generationis rerum de nō esse ad esse. alia sine motu est, & à Simplicio octauo Physicorum generatio non temporanea dicitur, propterea quod, cum sine motu sit, qui tempore mensuratur, etiam sine tempore est. Hæc eadem ab alijs nonnullis simplex rerum emanatio appellatur, & a Theologis nostris creatio, quæ rerum ex nihilo productio est. Alia est generatio illi opposita, quæ ab eodem Simplicio temporanea dicitur, quia cum motu est, qui tempore mensuratur. Secundum Platonem, & Aristotelem agens primum generatione nō temperanea omnia produxit, sed ab æterno, quemadmodum ex horum maximorum Philosophorum sententia Simplicius, ac Diuus Thomas firmiter tenent, & vt inferius rationibus, hoc idem a me demonstrabitur. Secundo vero modo generatione temporanea res ingenitæ omnino sunt; licet quoad has inferiores, & ab agentibus secundis post Deum quotidie fiant, vt saltem in vniuersali seruentur. Secundo igitur modo negant naturales philosophi omnes ex nihilo ab agentibus secundis, & modo naturæ, quæ principium motus est, res produci. Deinceps id exponere oportet, in quo sensu cum quæritur, si aliquid ex nihilo fieri possit, secundum Philosophorum sententiam, id intelligi debeat, & duobus quidem modis intelligi posse dicendum est. Vno pacto sic quod illa dictio, ex omne genus causæ significet, & ita erit sensus; aliquid ex nulla causa fit. Si hoc pacto intelligatur falsum, ac impossibile existit. Quis enim

enim animo capere potest res, prius nullo modo existentes, per se ipsas de nihilo ad aliquid deductas esse. Secundo aut ex nihilo, solum causam materialem denotat idest ex nulla materia, & istud rursus dupliciter exponi potest, aut respe-ctu omnium creaturarum, sic, vt ex nulla materia constent, id quod de materialibus falsum est. De immaterialibus, vt de intelligentijs, & anima nostra verum existit. Hæc etenim omnia a Deo ex nihilo creata, vel nulla in eis existente materia fuerunt. At materialia ex nihilo facta dicuntur esse, quia prius materia creata fuit, quæ in illorum compositionem simul cum forma substantiali remanent, vt primo Physicorum lxiiij. ab Aristotele demonstratur. Tertia suppositio sit hæc, res a Deo creari, a se ipso inquam tantum verum est, sed a se ipso, vt simul cum alijs agentibus operatur, falsum, & impossibile est. Vtraq; pars huius distinctionis ex mox dicendis apparebit. Imprimis itaq; authoritatibus, secundo rationibus ostendo, omnia a Deo creata fuisse. Prima authoritas in primo Topicorum continetur, vbi Aristoteles, exemplum adducens problematis, quod pro vtraq; parte substineri potest, dicit. Vt vtrum Mundus æternus, & ingenitus sit, aut non æternus, sed genitus: Nam si argumenta a definitione motus propriæ dicti petantur, qui generatione temporaneæ connectitur, ita teneri poterit, nempè Mundum non fuisse genitum; nec futurum corruptibilem corruptione, quæ motum secum habet, vt arguit Aristoteles octauo Physicorum, & primo Cæli. Si vero argumenta a generatione non temporanea accipiantur, ita Mundus genitus a Deo est, & in nihilum verti posset. Secunda authoritas est in primo de Cælo, & est contextu 100. vbi inquit Philosophus, a primo communicatum est esse, & viuere omnibus, ijs quidem clarius, ijs autem obscurius. At qui communicare esse, est gignere; quemadmodum habere esse aliunde, generari existit, & si omnibus, ergo etiam Intelligentijs quæ, cum ex nulla materia constent, ex nihilo sint o-

Tertia suppositio.

H por-

portet. Eadem ratione porro, si omnibus, etiam ipsi materiæ primæ conueniat id, necessarium est, alioquin materiæ esset materia, & sic in infinitum.

Rationibus validissimis confirmatur à Deo omnia fuisse ex Nihilo creata.
Cap. XXXVIII.

QVod ad rationes autem attinet, sicut motus, & mutatio cum tempore actus mobilis, aut mobile est, a motore existit tertio Physicorum, ita si creatio datur, est actus. eritq; in rebus creandis, vt creandæ a Creatore. Proinde argumentabor tum a Creatione, tum a Creaturis, tum ab ipso Creatore Deo, vt omnino, & penitus ab ipso Deo omnia fuisse creata, non solum secundum catholicam veritatẽ ostendam, verum etiam ex Aristotelis sententia. Primo itaq;
1. *Ratio.* ratiocinor, argumento accepto ab ipsa creatione. Si datur creatio apud nos, quæ ab agẽtibus istis fiat per similitudinẽ, datur etiam creatio rerum ab agente primo, sed antecedens verum est, ergo, & consequens verum vtiq; erit. Quod autẽ creatio apud nos per similitudinem detur, ostendo: quia formæ materiales, quæ de potentia materiæ ab agentibus de non esse ad esse deducuntur, quasi per creationem fiunt, ut Auerroes confitetur xij. Metaphysices; quod etiam ostendo quia quatenus huiuscemodi formæ non latitabant in materia, nec aliquid illarum ibi aderat, dicuntur creatæ; sicuti cum esse desinunt, in nihilum redeunt: quatenus uero ex materia educuntur, & materiam relinquunt non sunt creatæ. Ecce igitur quod huiuscemodi formarum productio ab ijs agentibus, partim est creatio, & partim non. Hæc a Diuo Thoma concreatio, appellatur; ab Auerroe quasi creatio, ab Aristotele creatio aliquo modo, & secundum quid diceretur. Primum connexum deducitur propterea quod illud quod est tale per similitudinẽ, præsupponit id, quod propriæ tale

tale eſt, ut lapides, qui honorantur, ex quibus aræ fiunt, fortunati dicuntur per ſimilitudinem cum hominibus qui honore afficiuntur; è contra lapides extra aras, qui pedibus conculcantur dicuntur infortunati per ſimilitudinem hominum vilium, qui ſpernuntur, vt ſecundo Phyſicorum dictum, ac determinatum eſt ab Ariſtotele. Quocirca ſi in animalibus brutis, & in pueris morum ſimilitudo eſt, vt octauo de Hiſtoria animalium à principio recenſet Ariſtoteles; inde ſequitur quod, & in hominibus vſum rationis habentibus mores proprie dicti reperiuntur. Si Philoſophantes auxilio theorematum ipſius philoſophiæ Deũ, ac cætera intelligunt, & in recta ipſorummet gubernatione Deo aſſimilantur pro viribus, qui Deus propriè, & perfectiſſimè ſe ipſum & alia non intelliget, atq; gubernabit? Secundo arguo ratione à creaturis ipſis petita hunc in modũ. *2. Ratio à creaturis.* Si omnia præter Deum entitate, & bonitate participant, igitur ab ipſo creata ſunt: nam alioquin non penitus entia per participationẽ forent; ſed reliqua ſunt entia per participationẽ, ſicuti participantia caliditate à primo calido. ergo omnia à Deo creata ſunt. Tertiò & vltimo ex parte Dei ſic arguitur. *3. Ratio à creatore.* Quanto agens eſt ſuperius, ac præſtantius, tanto minus ſupponit de materia, vt agens naturale, quia ſuperius & præſtantius eſt artifice, vbi artifex in operando ſupponit materiam, quę ens actu eſt, vt ſtatuarius lapidem, aut æs: ædificator lateres, lapides, & ligna; naturale agens materiam, quæ ens in potentia exiſtit, præſupponit. Sed Deus naturali agente, & artifice ſuperior, & præſtantior exiſtit, ergo in producendo, ſupponet id, quod minus quam ens in potentia, & quam ens in actu ſit, id autem eſt ipſum nihil, ergo Deus ex nihilo valet omnia gignere. Hanc tertiam argumentationem nonnulli debilem eſſe conantur oſtendere, imo potius deſtruere, ſic argumentantes. *Obiectio cõtra adductã ratione ex creatore.* Si Deus quia naturali agente, & artifice ſuperior & præſtantior exiſtit minus materiæ ſupponit, ideſt, nihil; eadem ratione quælibet in-

telligentia, quæ a Theologis Angelus nominatur, creare poterit; cum ſit etiam Angelus ſupra artem, & ſupra naturam. Id quod non modo contra fidem eſt, verum etiam fieri minime poteſt: Si enim Angelus ex nihilo res de non eſſe ad eſſe deducere poſſet, cum Deus ſupra Angelum ſit, inde deducitur, Deum eo, quod ſit minus quam nihil, producere, ſed id eſt impoſſibile. igitur in producendo cum Dei, tum Angeli virtus æqualis fuerit. At qui reſpondeo, quod quemadmodum ſi centum homines Nauim trahant, nonaginta nouem eam minime trahent; Si his addatur loco centeſimi hominis puer, aut debilis illam minime trahent. Ecce non quilibet virtutis exceſſus ſufficit, ſed opus eſt centeſimo homine robuſto. Quamobrem ſimili ratione non ſatis eſt virtus Angeli ad creandum, etiam ſi eius vis robur tum artificis, tum agentis naturalis excedat, ſed opus eſt virtute infinita in vigore, quæ in ſolo Deo eſt: ſi namq; foret in Angelo virtus eadem, tunc Angelus æqualis Deo foret, & ita Deus minime Deus exiſteret, & ipſe Angelus eſſet Deus, & non Deus, quod contradictionem implicat, & fieri minime poteſt. Quod autem opus ſit in creatione uirtute infinita, oſtenditur: nam quemadmodum inter purè nihil, & aliquid infinita èſt proportio, ita infinita uirtus in uigore requiritur, quę aliquid de non ente penitus ad eſſe hoc aliquid perducere ualeat. Sed contra rurſus nonnulli inſtant, dicentes, In hac reſponſione, & in creatione propriè dicta infinita uirtus in uigore in ipſo Deo ſupponitur, quod Ariſtoteli repugnare uidetur: Si quidem octauo Phyſicorum oſtendat primum motorem uirtutis finitæ exiſtere, cum in tempore moueat. Si enim infinitam haberet vim; Cælum in non tempore moueret, quando uirtus quanto maior, tanto uelocius moueat. Quare ſi in infinitum ſit maior, infinita uelocitate mouebit. Si dicatur infinita uelocitate, ſed non ob id in nõ tempore, ſed in tempore imperceptibili. contra ſic etiam uirtus finita mouere poſſet, & ita tantum poſſet quantum uirtus

Obiectionis diſſolutio.

Obiectio cõtra reſponſionẽ

virtus infinita, & tantum minor,quantum maior in infinitum. Ad hanc argumentationem dicendum eſt, mouens eſſe in duplici differentia. Aliud quidem mouet naturaliter, vt hæc mouentia inferiora, quæ integra illorum poteſtate, totiſq; viribus mouent. Aliud vero liberè intellectu, & voluntate, vt Deus,& homo. Huiuſcemodi ab illo diſtinguuntur, quia hæc non quantum poſſunt, ſed quantum volunt, mouent. Exempligratia poteſt quis aliquem ante ſe exiſtentem mouere leuiter, vt ipſum à ſe remoueat, & poteſt vehementiſſimè, ita vt ad terram illum proijciat. Ita Deus mouet quantum uult Cælum, & non tota ſui potẽtia. Quare cum eius uoluntas optima ſit, idcirco non quanta poteſt, ſed quantum expedit ijs inferioribus lumine,& motu gubernandis, atq; conſeruandis cælum mouet. Itaq; ratio Ariſtotelis concludebat, ſi Deus naturali modo, & uniuerſa eius poteſtate in mouendo uteretur. Contra rurſus inſtant aliqui duplici ratione arguentes. Altera ducendo ad inconueniens, & altera directè concludente. Illa porrò, quæ ad inconueniens deducit, huiuſcemodi eſt; quia ſi Deus infiniti vigoris ſit, & eo, infinito non utitur in mouendo, ſequitur quod fruſtra ſit eius infinita uirtus, quod abſurdum eſt. ergo in Deo infinitam eſſe uirtutem in uigore non eſt dicendum. Altera ratiocinatio, quæ directè concludit, ſic habet. Si Dei ſcientia finita eſt, eius quoque potentia finita erit, ſi quidẽ æqualia in Deo comperiantur ſcientia, potentia,& bonitas. At ſcientia Dei finita eſt: nam eſt cauſa rerum vniuerſalium quæ finitæ ſunt, alioquin inter illa ordo nuſquam eſſet. Quãquam finita uiſitur Dei ſcientia quatenus ſingularium eſt. Hæc uero ſecundum fidem finita ſunt, cum Mundus deficere debeat. Secundum Platonem autem, & Ariſtotelem, qui eum numquam interiturum, nec incepiſſe Mundum credũt, ſingularia ſunt infinita ſucceſſione. Proinde ſecundum fidẽ etiam ex ſingularibus numero finitis in Deo intelligibiliter exiſtentibus, & unde hæc realiter procedunt. Deus finitæ, & non

& non infinitæ uirtutis in uigore eſſe uidetur. Secundum uero Philoſophos infinitæ quidem uirtutis apparet in duratione, non autem in uigore. Ad primum itaque argumentum, negatur potentiam Dei eſſe fruſtrà ſi ea infinita, vt infinita non vtatur in mouendo Cælum, quia ſatis eſt quod ea vſus ſit in productione omnium rerum uniuerſi ex nihilo, ut demonſtratum ſuperius fuit, & quod eadem utatur in animabus noſtris creandis. Ad ſecundum imprimis dico, Deum eſſe infinitæ uirtutis ex duobus patere poſſe, quorum primũ eſt, quia ſe in ipſo Deo, vt in primo ente omnia æqualiter ſe habent, quemadmodum ipſe infinitæ uirtutis eſt, & à parte ante, & a parte poſt, quo ad durationem: ita etiam quo ad uigorem. Intelligentiæ, autem & animæ noſtræ infinitæ uirtutis in duratione in futurum ſunt Deo ita uolente qui illas à materia hac, & à contrarijs exemit, & operationem propriam illis tribuit: ſed finitæ uirtutis in uigore ſunt. Cætera porro quæ apud nos ſunt utpote magis adhuc a Deo diſtantia cum perfectione, tum ſitu finitæ uirtutis ſunt utroque modo ſcilicet, & quo ad uigorem, & quo ad durationem. Alterum eſt, cum Dei uirtus infinita a philoſophis, ac Theologis oſtendatur, modus ipſe conſiderandus eſt quo rebus cunctis eſſe & uiuere dedit, cum prius extra ipſum nullo modo exiſterent, quemadmodum ſuperius tũ authoritatibus, tum rationibus demonſtratum eſt. Deinde ad uim argumentationis reſpondens, dico ſcientiam Dei poſſe dupliciter conſiderari. Primo quidem, ut ipſius diuinæ eſſentiæ cognitio eſt, quæ infinitæ perfectionis exiſtit, & ita infinita eſt rei cognitio penitus, & omnino, quo ad perfectionem & quo ad vtrumq; modum infinitatis virtutis, vt ſuperius expoſitum eſt. Secundo vero modo, ut refertur ad res extrinſecas, quibus ordine quodam eſſe, & uiuere a Deo communicari congruit, & ita Dei ſcientia finita eſſe uidetur, ſicut & eius uirtus, extenſiue. Tertio dicatur uim infinitam Dei intenſiue ex modo productionis nobis manifeſtari,

ſtari, non autem ex numero finito rerum ad extra exiſtentiū, quæ in Deo intelligibiliter ſunt. Theologicè poteſt dici Deum ſcire infinita, & infinitas ſpecies poſſe creare ex parte ſuæ potentię abſolutè conſideratæ. ſed reſpectu ſuę potentię, & ſcientiæ, vt referuntur ad res creatas videntur finitæ.

Philoſophiæ ac Theologiæ in quibus differant, & quædam problemata ad mundi creationem continentia diſſoluuntur. Cap. XXXIX.

EX omnibus ijs patere arbitror iniuſtè reprehendi Philoſophiam, circa creationem, cum ipſa Deum omnia creaſſe confiteatur conformiter doctrinæ diuinitus reuelatę, ac longe melioris exiſtentis, quam ſciētia principiorum, aut concluſionū, quæ more ſit philoſophica. Solum etenim differunt abinuicem Theologia & Philoſophia Platonicorū, & Peripateticorum in duobus, quorum vnum eſt quod illa ponit rerum creationem de nouo. In principio, dicit Moſes in Geneſi, creauit Deus Cælum, & Terram, ideſt in principio temporis cum tempus eſſe cœpit. Hanc vero ab æterno rem à Deo emanaſſe aſſerit, quemadmodum ſi pes alicuius in arena exiſtens ſempiternus foret, ſemper etiam ibi veſtigia relinqueret, & ſolum pes prior natura ipſo veſtigio eſſet. Et quemadmodum apud philoſophos Sol perpetuo fuit, & erit, & perpetuo inde emanauit, & effluxit lumen, atq; perpetuo emanabit & effluet, alioquin non vident quo pacto ſi bonum erat vniuerſum creare ab æterno non ſit facta aliqua mutatio in Deo ipſo, aut aliquod eſſet Deum impediēs, quin ab æterno ipſum mundum non procreaſſet: ſed venia digni ſunt ipſi Philoſophi quia carētes vera omnino ſcientia diuinorū, diuinitus reuelata, arbitrati ſunt de diuinis omnino vere, & copioſe ipſorum humana ſapientia poſſe iudicare. Cum vero quærunt Philoſophi gentiles de cauſa quare Deus non ab ęterno res creauerit, ſed de nouo in principio tempo-

temporis, reſpondent nonnulli ex Theologis, quia ipſi ita placuit, & voluntatis diuinæ cauſa non eſt quærenda, cum illi ſoli nota ſit. Alij diuinæ propterea Deum ab æterno non procreaſſe Mundum, vt nobis ex hoc innoteſceret, ipſum non naturaliter Mundum produxiſſe, ſicut naturaliter à patre eſt filius genitus ab æterno, ab utriſque ſpiritus proceſſit ſanctus, ſed libera eius uoluntate quando ſtatuit illum creare Diuus Thomas cuius Doctrina, tum philoſophica, tum theologica facilis, exquiſita, ac omnino tutiſſima exiſtit in expoſitione contextus 12. & 13. octaui libri Phyſicorum dicit. Si quæratur cur Deus voluerit Mundum non ſemper eſſe ſine dubio dicendum quod propter ſe ipſum, ſicut enim propter ſe ipſum res fecit, ut in eis ſuæ bonitatis ſimilitudo manifeſtaretur, ita uoluit eas non ſemper eſſe, ut ſua ſufficientia manifeſtaret in hoc, quod omnibus alijs non exiſtentibus ipſe in ſe ipſo omnem ſufficientiam beatitudinis habuit, & uirtutis ad rerum productionem. Et hoc quidem dici poteſt quantum humana ratio capere poteſt de diuinis, ſaluo tamen ſecreto diuinæ ſapientiæ, quod a nobis comprehendi non poteſt. Aliud in quo Theologia, ac Philoſophia diſcrepare uidentur pertinet ad finem uniuerſi. Theologia etenim uere nobis oſtendit tum authoritate diuinę ſcripturę tum etiam ratione humana idem confirmat omnia quæ in Mundo ſunt exceptis Angelis, & Dęmonibus animabus noſtris cælo & elementis, quandoque deſinere eſſe, in die uidelicet vniuerſalis Iudicij, & ope ipſius ignis: authoritate quidem ut in Epiſtola ſecunda Petri Principis Apoſtolorum capite tertio, cuius uerba ſunt hæc. Adueniet autem dies Domini, ut fur, in quo Cæli magno impetu tranſient elementa uero calore ſoluentur, terra autem, & quę in ipſa ſunt opera exurentur, remanebunt uero cæli. Elementa, & homines tam boni quam mali. Idem præterea ratione fulcitur tum quia ſicut igne diuini amoris omnia a Deo producta ſunt, ita omnia illa, quæ beatitudinem æternam participare non poterunt,

terunt, aut diuinæ Iuſtitiæ, & miſeriæ igne ſenſibili, cum ſenſibilia ſint, perire conueniebat, poſteaquàm omnibus hominibus, qui procreandi erant vſum proprium præſtauerant: tum etiam, vt vniuerſali iudicio in quo finalis ſententia omnium terribiliſſima, terribilibus ardoribus, ac terribiliſſimo, vt ita loquar, modo deſtructionis coniuncta videbitur. Verum Philoſophantes illi tanquam puri homines, & ſine lumine gratiæ, & diuinæ doctrinæ hucuſque mente, & fide non peruenerunt: Qui vero non ſolum philoſophi, verum etiam de numero fidelium ſunt, inexcuſabiles ſunt ſi illuc quo illi lumine naturæ conſcendere minime poſſunt ipſi lumine gratia peruenire nolint recuſentque.

Tertia calumnia proponitur ſuis rationibus corroborata. Cap. XL.

TErtius error qui Philoſophiæ aſcribitur ſimiliter ad Deum ipſum Deorum, & cauſam cauſarum & bonitatem bonitatum pertinet. Huius etenim facultatis ſectatores Deum hominis & humanarum rerum prouidentiam habere negant, quã ſententiam non minus profecto falſam, quã impiam huiuſcemodi apparentibus rationibus confirmare nituntur, quarum vna eſt hæc. Quemadmodum rerum vi- 1. *Ratio.*
lium non conuenit Regi apud nos prouidentiam habere, ſic nec Regi Regum. At homo, & res humanæ viles ſunt reſpectu illius, ergo ipſe habere hominis & rerum humanarum prouidentiam minime congruit. Altera ſit iſta. Si Deus 2. *Ratio.*
hominibus prouideret, ira afficeretur cum mali bonis iniuriam faciunt, vt par eſt, & ita eius vita cum moleſtia continuo eſſet at eius vita ab omni moleſtia, vtpote omnino fœlix, longe abeſt. ergo Deus noſtri curam nullam habet. Tertia, ac poſtrema huiuſcemodi eſſe videtur. Si Deus ho- 3. *Ratio.*
minum ſollecitudinem haberet, non permitteret iniuſtos omni bonorum genere abundare, vt ſanitate, rerum copia,

& honoribus, iustos autem è contra ægrotare, sperni, & pauperie premi: aut mala, & iniusta esset eius prouidentia.

Adducta calumnia exploditur & rationes illius pulcherrime diluuntur. Cap. XLI.

VT ergo philosophia ab huiusmodi falso crimine defendatur ad rationes in oppositum adductas respondendum est. *Dissolutio primæ rationis.* Ad primam itaque imprimis negandum est hominem rem vilem existere, nam præterquam quod omnium animalium, quæ apud nos sunt præstantissimum est, cum parte animæ diuina, & immortali, scilicet intellectu, quo intelligit, & sapit præditus sit, insuper solus Deum colit. *Respōsio ad secundam rationem.* Obiecto secundo sic occurrimus, omnia a Deo reguntur ità, vt ex causis determinatis debito ordine fiant, & conseruentur, & hæc homini inseruiunt, quando quodlibet ex illis homini aliquem vsum præstet, ergo tanto magis Deus hominis curam habet. Quod si omnia sensibilia corpori humano deseruiunt, ita disponente Deo, quanto magis etiam animæ inseruire debent, vt inde occasionem sumamus eam à vitijs purgare, & virtutibus omnibus exornare, simul ac diuina pietate; quemadmodum superius declaratum fuit. Tertio dicendum est, hominem vile quid existere, si eum cum Deo conferamus vt ens est: at si cum illo comparetur, vt est illius opus & filius, cum eo cognitionem habens animæ dubio procul. adeo vilis minime censeri debet, sed nobilis, ac Deo gratus homo, quemadmodum, & proprij filij non solum nobis, sed etiam brutis chari visuntur. Ad vim argumenti negatur similitudo, quia Deus in prouidendo nobis, aut cæteris rebus non distrahitur vt Rex, à sua beata vita, & a cogitationibus grauioribus. Neque cum labore, vt Rex apud nos, res vniuersi gubernat, cum immaterialis existat, & ab omni contrarietate remotus. Ad secundam argumentationem dicatur, Deum non commoueri affecti-

bus,

bus, vt nos; cum affectus, vt irasci timere, odire, & huiusmodi animæ, & corpori communes sint, vt primo de Anima Contextu xiiij. ab Aristotele demonstratur Deus namq; purus intellectus est, & ita non remouetur a sua beatitudine. Quod si dicatur. In diuinis litteris mentio fit iræ Dei & misericordiæ, respondent, & optime ipsi Theologi, similitudine operationum intelligi hos affectus offendi in ipso Deo, quia facit opera iræ, aut misericordię, & non quia proprie in eo sit tale quippiam (verbi gratia) molestia afficiatur. Ad tertium, & vltimum argumentum tripliciter responderi potest, & optime, Primo quidem, si dicatur fœlicitatem in sanitate, diuitijs, & honoribus, & alijs huiuscemodi minime consistere, sed in viuendo secundum rectam rationem & pro copia, aut paucitate huiuscemodi bonorum semper illis recte utendo, ut iusti faciunt, iniusti uero contra quod male, infælices, & miseri sunt, etiam si uideantur esse fælices, & cum prosperitate fortunę. Secundo dicendum est infirmitatem, pauptrtatem, uilipendium, & alia huiuscemodi, quę mala communiter dicuntur ægrotantibus ægritudini animi remedia esse ut ab ea liberentur, & bona a Deo recipiant. Etenim qui sanitate animæ ualent ad uirtutum exercitium, puta fortitudinis, & magnanimitatis propensi cernuntur. Bona iustis a Deo si quandoque tribuuntur, id fit ut illis recte utantur sui, & aliorum gratia. Iniustis uerò condonantur, & prauis ad ultionem, & pœnam, Nam auari toto uitæ tempore circa lucra laborantes, cum anxietate, uigilijs, ac formidine semper adiuncta nullum usum, nullamque delectationem e pecunijs capiũt, Et quænam hac fuerit pœna iusta magis, & urbanior? Ommitto de industria quod multi a luxu ob diuitias interficiuntur. Hisce duobus modis Philosophia in sui difensionem nos tertio argumento respondere docet. Modum denique tertiũ respondendi Sancta Mater Ecclesia suorum interuentu Doctorum nobis indicat, qui talis ubique prædicatur. Deus ita

Ad tertiã rationem.

I 2 nobis

nobis prouidet, ut his qui bona receperunt in hac uita, & minime recte, & pie eis uſus ſit, infinitam eius bonitatem offendens ſempiternis pœnis ſenſus, & intellectus plectantur. His uero qui huiuſcemodi bonis reuera caruerunt, aut ſaltem quo ad affectum, æternam largitur beatitudinem. Ex his igitur patet falſo philoſophiam incuſari nempe quod ipſam Deo prouidentiam neget quando potius cum fide conueniat, ac Deum hominum curam habere diligenter, & exquiſite doceat, diligentiſſime uero ſtatuitur atq; oſtenditur ab ipſis Theologis.

Calumniæ pertinentes ad Angelos & dæmones proponuntur ſuis rationibus fulſitæ in quibus philoſophiam Theologiæ oppugnatricem garriunt.
Cap. XLII.

Prima calumnia. CIrca Angelos etiam uidetur aberrare Philoſophia, & præcipue Peripatetica; primo quidem quia ſolum tot numero illos eſſe ſtatuit, quot Aſtronomia antiqui orbes adinuenerunt, quibus Ariſtoteles ipſe nonnullos addit, ita ut omnes quinquaginta quinque tantum ſint. Atqui ſecundum fidem multo plures ſunt. Chriſtus namque Ieſus captus, ut crucifigeretur, inter cęteras rationes quibus Petro Apoſtolo perſuadet ne pro ſui defenſione dimicet una eſt hæc, quia ſi reſiſtendum eſſet rogaret patrem & exhiberet illi pluſquam duodecim legiones Angelorum; legio vero vna, vt Theologi dicunt ſex milia ſexcentos ſexaginta ſex Angelos continet. *Secunda calumnia.* Secundo errant Philoſophi tam Platonici, quam Peripatetici, quia ſi materia principium eſt, & cauſa vnde omnia mala procedunt, Angeli vero a materia omnes æqualiter immunes ſunt & immobiles ergo apud eos Angeli peccare non poſſunt, & ita non videntur poſſe reddere vllo vnquam pacto rationem cur aliqui ſint boni Angeli, aliqui mali, ſicuti fides catholica ſecundum quam omnis creatura cum dono libertatis creata eſt, poteſt naturaliter

ter ad bonum,& ad malum ſe vertere, vt de Angelis. Quod malum ſcelusque patrare queant patet, quia ſimul cum lucifero ceciderunt,& ex bonis, ac iuſtis, qui cum Deo manſerunt eo fœliciter in æternum fruuntur. Tertia reprehenſio ſit hæc,quia Ariſtoteles qui Philoſophorum Princeps ab Alexandro, & ab Auerroe exiſtimatur, videtur Dæmones (qui a Theologis Angeli impuri, & mendaces dicuntur) negare, tum quia ſecundum ipſum anima actus corporis ſimplicis elementi eſſe non poteſt, ſed organici, Dæmones autem apud Platonicos animæ ſunt intelligẽtes in medio conſtitutæ inter Deos, ideſt ſubſtantias ſeparatas, & animas noſtras cum corpore aereo; tum etiam quia Dæmonum opera admirabilia Ariſtoteles non in ipſos Dæmones, ſed in humorem melancholicũ, vt apud ipſum in libro de diuinatione per ſomnia videre eſt, tamquam in huiuſcemodi operum admirabilium propriam cauſam reducere videtur. *Tertia calumnia.*

Lapſus calumniarum ad Angelos pertinentium præceps oſtenditur. Cap. XLIII.

VT itaque Philoſophiam circa angelos, ac dæmones non ita ex profeſſo, & de induſtria errare, vt illi paſſim imponunt; Ad ea quæ in contrarium adducta ſunt reſpondendum eſt. Et ante omnia quantum ad numerum Angelorum, & Dæmonum ſecundum fidem & rei veritatẽ longe plures ſunt, quam numerus corporum cæleſtium exiſtat. Ex ijs præterea nouem chori componuntur qui ad tres Hierarchias reducuntur à Dionyſio Areopagita, & a cæteris Theologis ita, vt quælibet Hierarchia ex tribus choris Angelorum conſtituatur, quæ triplex Hierarchiarum diſtinctio, quoniam omnia quæ fiunt in creaturis miniſtrantur per Angelos,quippe quorum aliqui rationes accipiunt in ipſo Deo, & ſunt primi tres ordines, alij rationes ſumunt in cauſis vniuerſalibus, & hi chori ſecundæ Hierar- *Defenſio à calumnia de numero Angelorum.*

chiæ

chię sunt descendendo. Tertio alij rationem sumunt in proprijs affectibus, & hi tres vltimi Chori ad tertiam, & vltimam Hierarchiam pertinent, quemadmodum præclare dicitur, & exponitur à Diuo Thoma in Commentarijs suis in Epistolam Pauli ad Ephesios in lectione septima. Quare verò diuersis nominibus Angeli in diuersis Choris existentibus diuersis nominibus appellentur declaratur ab eodem Diuo Thoma, & ratio assignatur. hoc supposito Platonicorum principio, omne quod alicui cõuenit tripliciter conuenire potest, aut essentialiter, aut participatiue, aut caussaliter, vt videri potest, & intelligi a quolibet in Cõmentarijs eiusdem Diui Thomæ in Epistola Pauli ad Colossenses in lectione quarta, Vnde etiam patet Philosophiam Platonicam ad rationem nominum Hierarchiarum, seu Angelorum cuiuslibet Chori assignandam, ac intelligendam maxime conferre. Quantum uero ad determinationem Aristotelis de numero Angelorum secundum numerum orbium cęlestium dici potest, quod eius ratio de numero Angelorũ mouentium orbes concludit probabiliter, non autem de numero Angelorum simpliciter, & quo ad numerum intellectionum, quas Aristoteles compræhendere nõ potuit cum sensum lateant, & cum in hac uita sumus non sine sensu intelligere possumus, pro defensione Aristotelis insuper dici potest ipsum fateri se probabiliter numerum illarum substantiarum ostendisse. Id quod ea uerba palam indicant, quæ paulopost intulit in 48. contextu, dicens. Quod enim necessarium est relinquatur potentioribus dicendum, fortassis intelligens diuinos homines, aut Christum ipsum, qui suo tempore expectabatur. In hunc sensum etiam locus ille Platonis in illo libro, qui dicitur ciuilis, ubi de Regno a Marsilio Ficino, & ab Aenea Platonico exponi uidetur, ubi Plato cum locutus fuisset de primis hominibus ex terra genitis, & de illorum uita fœlici sub Saturno, idest de uita contemplatiua, & paucis contenta dicit. Sed hæc ommittamus donec

aliquis

aliquis horum idoneus appareat nuncius, qui nobis referat vtrum homines illi scientijs, & confabulationibus operam dederint. idoneum nuncium interpretantur illi Platonem intellexisse de Christo, qui Magni Consilij Angelus dicitur, veluti missus ad Patris æterni doctrinam, & voluntatem nobis deferendam, & exponendam in sui gloriam, & nostri salutem sempiternam. Ad secundam repræhensionem de causa malitiæ Angelorum, qui a Deo auersi sunt, dici potest materiam esse causam omnis mali, quo ad inclinationẽ, vt superius determinatum fuit. At quo ad malum quod ob inconsiderationem boni minoris, qui non refertur (vt rationi consentaneum est) in summum & optimum bonum sic Angeli peccare potuerunt, & illi qui ceciderunt, hac ratione peccarunt quemadmodum a Diuo Thoma determinatur in prima parte summæ quęstione 43. articulo primo. Solus Deus, vt qui purus est actus, etsi liber sit peccare non potest. At in Angelis nonnihil potentiæ est alioquin, vt confitetur, etiam Auerroes in suis digressionibus in tertium de Anima in eis distinctio & multiplicatio non esset.

Defensio à secunda calũnia.

Calumniarum ad dæmones attinentium ruina maxima demonstratur. Cap. XLIIII.

DE tertio errore imprimis dicatur Aristotelem dæmones minime negare, cum illorum meminerit: tum secundo de Anima, tum quinto Metaphysices in capite de substantia: & alibi, vt in libello nostro de spiritibus, & dæmonibus adnotauimus. In præsentia restat, vt obiectis in contrarium adductis occurramus. Ad primum dicatur Aristotelem negare Dæmones non absolute, sed in corpore simplici, & elementari, existere posse, vt anima videlicet in corpore naturali organico est, sed nõ ob hoc negare quin in eodem esse possit per assistentiam, quemadmodum etiam intelligentiæ in orbibus cælestibus esse ab eodem statuuntur.

Ad aliud dici potest. Aristotelem non reducere omnes effectus admirabiles in humorem melancholicum, sed eos dumtaxat qui naturali ordine minime procedunt, nõ autẽ alios. Aut dicatur huiuscemodi effectus ab humore pendere tamquam a causa materiali, a dæmone vero velut a causa efficiente, quod nullibi Aristoteles negauit. Non explicuit tamen aperte suam sententiam, quòd supra eius prudentiam, & vires esse cognosceret dæmones esse ratiocinio probare demonstratiuo quemadmodum de ijs qui secus Herculeas columnas, & qui in Boristeni præuidere futura confitetur. Ex quo loco etiam patet Aristotelem rerum omnium scientiam minime sibi vendicare, sed aperte dicere eorum causas supra captum sui ingenij, & humanæ sapientiæ existere, cum alioquin eiusdem intellectus omnium ueritatũ capax existit. Ergo ad sapientiores recurrendum, cuiusmodi Theologi nostri sunt qui ex diuinis litteris, quæ de Angelis ac dæmonibus statuenda, ac credenda sunt optime didicerunt.

Calumnia de anima nostra proponitur eademque rationibus & authoritatibus confirmatur. Cap. XLV.

NVnc tria supersunt excutienda, scilicet in quibus Philosophia potius nonnullorum culpa peripateticorum, quam sui ipsius taxatur, ac repræhenditur, quorum primum est istud, quod ipsa cum his suis sectatoribus uidetur contra fidem, & bonos mores determinare animam nostrã quo ad omnes eius potestates (excepto intellectu agente, qui apud illos est Deus) de potentia materiæ educi, & ita incipere, ac desinere esse: quam opinionem tum falsam, tum impiam authoritatibus, & rationibus tueri conantur: Vna authoritas in tertio de anima habetur in contextu 162. secundum diuisionem Græcorum ubi dicitur bruta imaginationibus regi quo ad illorum operationes, quia intellectu carent, homines etiam multos quia in his intellectus obrui-

Cõfirmatur calũnia authoritatibus prima authoritas.

tur

tur aliquando perturbatione; vt patet in ira affectis, aut vehementi amore, aut ægritudine, quemadmodum in delirantibus ob ardentissimam febrem, aut etiam somno. Ecce igitur quod intellectus operatione corporis læditur, atq; ita corporeus, & mortalis existit secundum Aristotelis opinionem. Alia authoritas in tertio de anima continetur in contextu 20. secundum Auerrois diuisionem, vbi de intellectu agente verba faciens per comparationem ad intellectũ potestatis. de agente Hæc verba diligenter perpendenda ab his, qui eius mentem compræhendere volũt, Philosophus protulit. Separatus autem est solum hoc, quod quidem est, & hoc solum immortale est & perpetuum. Deinde prosequitur de eodem intellectu agente, & de passiuo inquiens. Non reminiscimur autẽ, quod hoc quidem impassibile est; passiuus vero intellectus corruptibilis est, & sine hoc nihil intelligit. Ecce dicunt Alexandrei, quod Aristoteles solum agentem dicit esse immortalem, & reddit rationem, quare passibilis corrumpatur, quia non intelligit sine memoria, & sensibus internis, quæ potentiæ corruptibiles sunt. Quamobrem ne ipse restet ociosus, hoc est absque operatione; dicendum erit etiam ipsum incipere, & desinere esse. Tertia, & postrema authoritas ex ijs, quæ maximi momenti esse videntur pro animæ nostræ mortalitate, est in libello de longitudine, & breuitate vitæ, vbi imprimis distinctionem quandam de modis corruptionis rerum proponit, quæ sic habet. Res corruptibiles, aut proprie & per se corrumpuntur, vt ignorantia scientia adueniente: Scientia namque per obliuionem, aut per accidens ad corruptionem subiecti destruitur, quandoquidem corruptis animalibus corrumpuntur & scientia, & sanitas, quæ in ipsis erant. Secundo statim hæc infert verba. Qua propter, & de anima ratiocinabitur quis vtique ex his. Si enim est non natura, sed quemadmodum scientia in anima, sic anima in corpore, erit vtique ipsius, & alia corruptio præter corruptionem, qua corrumpitur

2. Authoritas.

3. Authoritas.

corrupto corpore. Ecce dicunt Alexandrei, ex iſto loco patet, Ariſtotelem velle, animam corrumpi, ſiue per ſe, ſiue per accidens. Quò ad rationes, prima ita formatur. Si intelligere eſt phantaſia, ideſt phantaſiari; aut non ſine phantaſia, non contingit ſine corpore eſſe; vt primo de anima contextu xij. ab Ariſtotele dicitur. Sed intelligere non eſt ſine phantaſia, ſicuti tertio de Anima declaratur. Ergo intelligere ſine corpore minime eſt, & ex conſequenti neque ipſe intellectus intelligens. Ergo corpore corrupto, pariter ille corrumpitur. Secunda horum philoſophantium ratio ſit hæc. Nullum ęternum eſt pars compoſiti corruptibilis: quia ęternum æterno debet coherere: nam impoſſibile eſt aliter fieri, primo cæli contextu xxij. Sed anima noſtra eſt pars noſtri, qui corruptibiles ſumus, quemadmodum & generabiles fuimus. ergo anima noſtra non eſt æterna. Tertia argumentatio eſt Alexandri in ſua paraphraſi de anima, quę ita componitur. Nulla forma ſeparari poteſt ab eo, cuius eſt forma. ſed anima noſtra quo ad omnes eius facultates eſt forma huius corporis naturalis organici. ergo anima noſtra penitus a corpore iſto inſeparabilis eſt. & ita eo corrupto, etiam ipſa eſſe deſinit.

Calũnia cõfirmatur rationibus prima ratio

2. Ratio.

3. Ratio.

Falſitas calumniæ pateſit, & animam noſtram immortalem eſſe demonſtratur. Cap. XLVI.

Oppoſitam ſententiam ſupra ſtatuimus cum Ariſtotele, Platone, Theophraſto, ac cæteris Græcis, excepto dumtaxat Alexandro; quam fortiſſimis muniuimus argumentationibus, nempe quibus addimus modo hanc. Aut anima noſtra reſpectu Dei conſideratur, aut ad cæteras animas inferiorum viuentium refertur; aut ad ſe ipſam comparando partem intelligentem cum inferioribus, quæ minime intelligunt. At ea quomodocunque conſideretur, immortalis, ac diuina exiſtit, & remanet corrupto corpore. & ita opinio oppoſita penitus falſa, tum etiam impia depræhendi-

Animæ immortalitas demõſtratur prima ratio

henditur. Primum id ex parte Dei liquet: quia ſi anima foret mortalis, boni a Deo minime remunerabuntur, neque mali pæna afficerentur. Sed hæc diuinæ prouidentiæ, & iuſtitiæ repugnant, & abſurda ſunt. ergo iniuſtum, & abſurdum eſt arbitrari animam noſtram eſſe mortalem, quin imò pium, ac iuſtum eſt credere ſententiam oppoſitam, hoc eſt, eam eſſe immortalem. Hæc ratio eſt Ammonij in Commentarijs ſuis in caput de Relatiuis. Ratiocinium aliud a Nilo in ſuo libello de Ratiocinationibus ita formatur. Si Deus eſt bonus, bene facere debet ijs, qui in hac vita recte ſe geſſerunt. Quod ſi id agat, quod æquitas poſtulat, dubio procul anima noſtra immortalis eſt, Atqui Deus eſt bonus, bona igitur ijs elargitur, qui in hac vita recte operati ſunt. Vnde ſequitur, animam noſtram corrupto corpore, remanere. Ex parte vero aliarum animarum aliorum viuentium inferiorum idem probatur: quia ſi anima noſtra, quemadmodum, & anima illorum materialis, & corruptibilis exiſteret; præterquam quod homo, qui præſtantiſſimus omniũ horum eſt viuentium, infęlicior cæteris exiſteret ob tot genera malorum, quibus quotidie angetur; etiam eius anima diuino cultui dedita minime dignoſceretur, quemadmodum nec animæ aliorum viuentium: nec honore inflammaretur ad bene agendum, ſicuti nec aliæ accenduntur. At hęc falſa ſunt, ergo falſum eſt, animam noſtram eiuſdem conditionis, & generis eſſe mortalium; cuiuſmodi viſuntur animæ cæterorum viuentium. Poſtremo ſi in nobis inter ſe partes animæ materiales, & immateriales conferantur, idem demonſtrabitur hoc pacto. Si pars rationalis, & intelligens materialis, & corruptibilis foret, ea curaret ſolummodo bonum corporis. Verum pars rationalis, & intelligens bonũ corporis primo minime curat, ſed proprium, quod in virtutibus, & ſcientijs conſiſtit; & repugnat inferioribus a delectatione ſenſus vltro ſe ipſam retrahens propter delectationes proprias & ſinceras. ergo proprium eſſe ſine corpore habet,

Ex parte Dei immortalitas animæ probatur.

1. Ratio.

2. Ratio.

Ex parte animarũ inferiorũ animantium animam noſtrã immortalẽ eſſe oſtenditur.

Etiã ſi cõparetur aĩa noſtra intelligens cũ cæteris inferioribus, immortalitas tamẽ eius apparet.

& ita immortalis existit. Firmissime igitur cum philosophis & cum fide animæ nostræ immortalitas sustinenda venit, qua simul diuina iustitia, ac bonitas defenditur; nec non hominis præstantia super omnibus viuentibus inferioribus hómini deseruientibus. Ad hæc ita noster intellectus supra cæteras eius potestates eminet.

Rationes detractorum dissoluuntur, & authoritates illorum explanantur. Cap. XLVII.

CAeterum ad ea, quæ in contrarium adducta sunt ab Alexandreis, facile est respondere. *Ad primam authoritatē* Ad primam authoritatem, cum dicebatur. Intellectio læditur a materia, sicut ob ægritudinem: ergo materialis est. dico id verum esse, si per se, vt operatio communis animæ, & corporis læderetur. Atqui læditur per accidens ad læsionem sensus alicuius, aut spiritus sensui deseruientis, teste eodem Aristotele primo de Anima contextu lxvi. ipsum autem intelligere impassibile est: *Ad secūdam authoritatē* Ad secundam authoritatem textu xx. tertij de Anima dicendum est imprimis, quod illa particula exclusiua solus, non excludit intellectum potestatis; quoniam Aristoteles ita sibi ipsi repugnaret: tum quia in contextu vij. probauerat intellectum possibilem organicum non esse & ita separabilem: tum quia ex huius separabilitate, arguendo a minori ad maius, concludit etiam agentem separabilem esse in contextu xix: quia si ille, ergo tanto magis iste, cum ille sit patiens, & hic agens, & agens præstantius patiente existat. Excludit ergo sensum cum cæteris inferioribus, & organicis facultatibus. Secundo dico Aristotelem in contextu xx. per passiuum intellectum non intelligere intellectum potestatis: tum quia iam supra probauerat, eum esse non organicum, & secundo de generatione animalium extrinsecus accedere, & esse immortalem: tum etiam quia passiuus intellectus, sine quo nihil intelligit, est intellectus potestatis, non autem intellectus agens, alioquin etiam iste alio intellectu

telleᶜtu agente indigeret. Itaque per paſſiuum intellectum, opus eſt cum reliquis Græcis, & cum Diuo Thoma exponere phantaſiam, quæ ob aliquas ſimilitudines cum intellectu, pariter intellectus ab antiquis dicebatur, & ab Ariſtotele paſſiuus intellectus nominatur hoc in loco. Ad tertiam, & vltimam authoritatem dicatur. Ariſtotelem loqui de anima quo ad ſenſum, in quo ſcientia eadem eſt, ſed rerum in particulari; non autem quo ad intellectum, vbi ſcientia alio modo eſt, in vniuerſali videlicet, alioquin ſibi ipſi, & veritati, & rationi repugnaret. Ad primam argumentationem dico imprimis quo ad intellectionem phantaſmatum intelligere, non tamen ſine corpore, cum imaginari pertineat ad imaginatricem facultatem, quæ virtus in corpore exiſtit. At quo ad intellectionem omnino Propriam, qua diuina quandoque intelligere valet, aut cum corpore, aut ſine corpore exiſtens. ſic remanet ſine corpore. Secundo dico quatenus ex hoc, quod intellectus per accidens intelligit cum virtute ſenſitiua, quę virtus in corpore eſt, Ariſtotelem colligere intellectum per ſe extrinſecus accedere, & eſſe immortalem ſecundo de generatione animalium capite tertio: quia ſi per accidens, id eſt per aliud, nempe per ſenſus intelligit, non ſine corpore. & per accidens præſupponit id, quod per ſe eſt. Ergo intellectus ſua natura ſine corpore intelligit & ſine corpore eſſe poteſt. Ita nimirum ſecundo Phyſicorum contextu lxvi. arguit. Si cæleſtia a fortuna ; & a caſu ſunt, quę cauſæ per accidens exiſtunt; & cauſæ per accidens cauſis per ſe poſteriores ſunt. ergo prius a natura, vel ab intellectu reguntur & ſunt. quæ cauſæ per ſe dicuntur. Similiter in libris de Cælo ex hoc, quod elementa motu pręter naturā ad loca oppoſita mouentur, vt grauia ſurſum, cū proijciuntur, & leuia deorſum. Quæ vero pręter naturam, ea quæ ſecundum naturam ſunt, præſupponunt. concludit per ſe grauia prius motu naturali deorſum moueri, & leuia ſurſum. Per ſe igitur ex intellectione, quæ per phantaſmata fit intel-

Ad tertiā authoritatem.

Ad primam rationem.

intellectum non sine corpore esse concludit; ex accedente au tem, & connotato, vt operationem omnino propriam connotat, sic intellectum a corpore esse separabilem, inferri potest. *Ad secũdam rationem.* Ad secundum argumentum dupliciter responderi potest. Primò quidem reflectendo ipsum hoc pacto. Nullum ęternum pars compositi corruptibilis est, sed materia prima *1. Respõsio.* ex Aristotelis sententia primo Physicorum contextu 82. æterna est, ergo materia prima ex Aristotelis sententia non erit pars compositi corruptibilis. quod eius doctrinæ aduersatur in contextu 64. & 65. Soluant igitur Alexandrei hoc argumẽtum, & nos illorum ratiocinia pariter dissoluemus. *2. Responsio.* Secũdo uerò dicimus, immortale immortali essę coniungendum; sicut corruptibile corruptibili, quando composita sunt extrema; aut scilicet penitus æterna, ut orbes cum intelligentijs, aut penitus corruptibilia, ut hæc inferiora omnia, excepto homine; qui cum compositum medium per participationem extremorum esse debuisset; ut omne genus entis in mundo esset; & vt à Deo esse & uiuere omnibus tribueretur, & non solum penitus æternis, & penitus corruptibilibus. Verum etiã cõposito partim corruptibili, & partim æterno; corruptibili quidẽ quantum ad corpus; æterno autẽ quoad animam. Postremo ad argumentũ Alexandri duo dicenda sunt, quorum primũ sit istud, scilicet Aristotelẽ in contextu xi. Secundo de anima nos edocere, quid ex illa prima animę definitione colligatur, & quid ei non repugnet, & tertio quod nondum ex illa pateat, colligi quidem animam non separari a corpore; aut partes quasdam ipsius, si anima partibilis natura est. Nihil prohibere vero secundum quosdam eam a corpore separari: propterea quod nullius corporis agnoscatur actus. De tertio dicit. Amplius autem in manifestum, si sit corporis actus anima, sicut nauta nauis. Aristoteles igitur notat, ex illa defintione non esse concludendum de anima quo ad omnes eius partes ipsam a corpore inseparabilem esse: secundum, quod dicendum est pro argumen-

mentationis Alexandri dissolutione, sit istud. formam esse in duplici differentia; aliam quidem, quæ penitus de potentia materiæ educitur, sicuti forma elementi, lapidis, Plantę, & bruti. Hæ omnes materiales sunt, & partibiles, idq; partitione materiæ, cum a materia non separentur sine illarum destructione. Aliam vero, quæ separabilis est; vt intellectus noster possibilis, vt loco sæpius citato secundo de Generatione animalium, demonstratione sumpta a propria & separata operatione concludebatur. Nec potest dici eo in loco Aristotelem intelligere de intellectu agente: propterea quod loquatur ibi de partibus animæ, non autem de intellectu agente; qui apud Alexandreos est ipsa prima causa. Additur, quod fuisset diminutus, nullam intellectus potestatis mentionem faciens. Anima itaque nostra intellectiua, si consideretur quo ad eius operationes omnes, nempè quatenus nonnumquam organicæ sunt, mediate, vel immediate, tum inseparabilis videtur à corpore. Sin autē quo ad operationem omnino propriam & intellectui per se competentē; hoc pacto superest, corrupto quantumuis corpore. Exempli gratia proponatur hæc similitudo. Nauta si consideretur quo ad operationes ei communes cum Naui, dubio procul eas absq; naui peragere non potest; quo autem ad propria eiusdem opera. secundum hunc considerandi modum, nauta cum existere, vel seclusa naui, tum operari potest? Sed dicet aliquis. Quælibet intelligentia duas habet operationes, alteram tum orbi suo communem, scilicet, vt illum in circulum moueat, alteram vero propriam, scilicet intelligere: cum alioqui semper orbi coniuncta sit. Ergo tanto magis anima nostra cum corpore nostro perpetuo manebit. Quin etiam eæ orbium intelligentiæ fortassis anima nostra fuerint infœliciores: quandoquidem ab orbe numquam liberentur; a corpore vero nostram animam aliquando immunem esse contingat. Ad obiectionem huiusmodi dicendum est, nullius eam esse roboris. Primo quia quælibet intel-

telligentia ſimul cum ſuo orbe de numèro vniuerſalium cau ſarum eſt, & ita ſi hæc mediante motu ſui orbis, & luminis operari debet, impoſſibile eſt eam ab orbe ſeparari. Verum animæ noſtræ tamquam ſingulares, & numero differentes ſub eadem ſpecie ad vniuerſi conſeruationem, velut vniuerſales cauſæ & per ſe, nequaquam faciunt per accidens ad conſeruationem ſpeciei, cum particularis vnus homo gignat alterum, & ita qui genuit non eſt amplius ad conſeruationem ſpeciei neceſſarius: quia ſuperſunt alij homines intelligentes cum corpore; etiam ſi priores ſine corpore alia vita intellectiua viuant. Secundo quia non ob hoc intelli-
1. Calumnia. gentia infœlicior, aut minus fœlix eſt anima noſtra, quod illa in mouendo ſuum orbem non diſtrahant a ſua propria operatione vbi ab intellectione beatifica, ſicut euenit intellectiuo noſtro, qui a corpore, & a ſenſu impeditur.

Duæ calumniæ ad animam noſtram pertinentes proponuntur & ſuis rationibus confirmantur.
Cap. XLVIII.

RElíqua duo ad animam noſtram eodem pacto pertinentia ſunt hæc, quia ſecundum fidem beatitudo noſtra cenſetur vnica, quæ nimirum in intellectione ſimul, & amore Dei, eiuſq; fruitione conſiſtit; quippe quam non in hac, ſed in altera vita mediante diuina gratia conſequi valemus. Atqui ſecundum Philoſophos fœlicitas noſtra duplex eſt, quarum altera actiua dicitur: propterea quod in recta actione conſiſtere videatur, quemadmodum ab Ariſtotele primo de moribus ad Nichomacum demonſtratum eſt: quæ quidem actio recta virtute duce fit, vt ibidem ab Ariſtotele ſtatuitur. Virtute etenim rectè vtimur diuitijs, ſanitate, & cæteris bonis. Huiuſcemodi porrò fœlicitas conſiſtere dicitur in cognitione rerum, atq; bonis fortunæ; quemadmodum Plato in Mennone, vel de virtute ſub perſona

Socra-

Socratis nos edocet. Alterum genus noſtræ fœlicitatis in Dei cognitione cum admirabilibus voluptatibus coniuncta ab Ariſtotele quidem in x. de Moribus, a Platone vero in Philebo, & in Timæo, & in Phædone reponitur. Tertio ſecundum doctrinam diuinitus reuelatam videre Deum de facie ad faciem, & ita eſſe vere fœlices, & beatos, & credimus, & ſcimus, non in hac, ſed in alia uita. Verum apud Philoſophos id nobis tum in hac, tum in alia uita contingere poteſt. Plato etenim ut in pluribus negat homines in hac uita fœlicitatem conſequi poſſe ob multa incommoda, & impedimenta, quæ perpetuo nobis accidere videmus Concedit nihilominus admodum paucos hic fœlices poſſe euadere, cuius verba in Dialogo illo qui dicitur Epinomis, vel philoſophus in initio fere ſic habent. ATHEN. Scite loqueris, ò amice Clinia. Sermonem vero quemdam nunc mirum, & rurſus quodammodo non mirum auditurum te reputo. Multi enim fluctibus huius vitæ iactati illud prædicant, humanum genus fœlix, ac beatum eſſe non poſſe. Attende igitur, & conſidera vtrum, & ipſe recte hac de re dicere videar. Impoſſibile arbitror hominem in hac vita prẹter admodũ paucos fœlicitatèm, & beatitudinem aſſequi. Mercurius ter maximus in principio ſui Pimandri de ſe ipſo inquit, quod cum de rerum natura cogitaret conſopitis ſenſibus intellectu diuinam mentem vīdit, & ab ea tùm Mundi conſtitutionem admirabilem didicit, tum quo pacto homines recte pieq; inſtituerunt, & ita confiteri videtur, ſe in hac vita Deum per eſſentiam vidiſſe, & (vt dicunt noſtri Theologi) viſione intuitiua ſic vt inter Deum, qui intellectu videtur & intellectum videntem nulla ſpecies interceſſerit. Hoc idem de Platone refert Ariſtoteles in ſua myſtica philoſophia ſecundum Aegyptios libro primo cap. 4. & in xij. Metaphyſices, huiuſcemodi philoſophorum vitam beatã cum illa Dei comparans, inquit: quemadmodum nos aliquando & imperfecte intelligimus, ita Deus ſemper, & perfectiſſime

2. Calũnia.

1. Authoritas.

2. Authoritas.

3. Authoritas.

1. Ratio Platonica. fectiſſime. Ratio Platonica, qua idem perſuaderi poteſt huiuſcemodi eſt. quia ſi Deum ipſum ita perfecte cognoſcere, nobis ad eum pie, & ardenter colendum, & expetendum confert, & ad rectius viuendum, profecto in hac vita aliquis Deum ita perfecte cognoſcere valet: alioquin Deus, aut id ignoraſſet, aut optimam noſtri prouidentiam non haberet. At ſi Deus perfectiſſime ab aliquo intelligatur, ſummopere eum diliget, & vt illo placeat, optime viuet conformiter eius ſapientiæ vij. de Republica. concedendum igitur eſſe videtur, aliquos in hac vita fœlices fœlicitate ſpeculatiua eſſe poſſe. *2. Ratio Peripatetica.* Ratio Peripatetica idem etiam conuincere videtur, nam, aut intellectus noſter ſub ea ratione, qua intellectus eſt, conſideratur, aut, vt ſimul cum ſenſu in intelligendo procedit. Si vt intellectus eſt, cum diuinus, & immortalis exiſtat, ei diuina ſecundum naturam intelligere ſemper conuenit. ſi vero quatenus cum ſenſu ſpeculatur; etiam ſic diuina contemplari perfectiſſime ualet: tum quia ſi minus intelligibilia, ut materialia, ope intellectus agentis intelligit, inde ſequitur, quod ope eiuſdem tanto magis ea, quæ ſua natura intelligibilia ſunt: tum etiam quia cognitio, quæ phantaſmatum obitur opera, uel diſponit nos ad cognitionem Dei, uel pro hac præſenti; Non pro altera uita, quia intellectus ſeparatus non amplius a corpore, vel a ſenſu dependet. ergo pro hac uita: alioquin fruſtra eſſet huiuſcemodi per ſpeciem contemplatio.

Philoſophia ab vtraque calumnia doctiſsimè defenditur. Cap. XLIX.

Defenſio à prima calũnia. PRo philoſophia in his etiam defendenda, reſpondeo, & in primis quantum ad Duplicem beatitudinem, dico apud illos, ſummum bonum ſimpliciter, quod propter ſe tantum expetibile eſt, unum tantum eſſe, & iſtud in Dei cognitione, ut dictum eſt, conſiſtere. quod ſi etiam uitam ſecundum uirtutes morales fœlicē dicunt, id ea ratione præ-

cipua

cipua adfirmant, quia ad ſpeculatiuam nos diſponit, & poſſumus, merito actiuæ uitæ (concurrente diuina tamen gratia) ſpe, & poteſtate fœlices dici. De altera calumnia dicendum eſt, aut quod Plato, Plotinus, Ariſtoteles, & alij multi decepti ſunt ſimilitudine accidentium communium intellectioni diuinorum per ea, quæ per ſpeciem intelliguntur, & eidem intellectioni diuinorum ſine ope ſpecierum. Vtraq; etenim intellectio, cum circa maximum, ac optimum intelligibile ſit, admirabilibus voluptatibus coniuncta eſt. Senſibilium conſideratio, ſi non omnino, magna ſaltem ex parte deficit. Aut dicatur, quod cum interdum Deum, atque Intelligentias quo ad attributa tranſcendentia, & miro ordine, contemplarentur, & ita proximius ad intellectionem Dei per eſſentiam accederent, placuit Philoſophantibus aſſerere proprio indicio, quod ipſi ad intellectionem omnino ſeparatam deuenerint, non quod id vere crederent, vtpote ſcientes naturalem eſſe intellectus, & ſenſus (quamdiu degit in corpore mens noſtra) colligantiam, & ita ſolum per ſpecies intelligere nos poſſe; ſed vt conformarentur illi ſententiæ vulgatæ, qua conſueuimus efferre, de proxime accingendus, habetur pro accincto. Quod namq. parum abeſt, id perinde, ac ſi vere exiſteret, exiſtimari videtur: quod illud exiguum, quod deficiet, nō animaduertatur. Qui enim proxime acceſſit, vt aliquod magnum bonum præter intentionem obtineat, etiam ſi illud minime obtinuerit, nihilominus fortunatus dicitur. quemadmodum dictum eſt a Philoſopho in ſecundo Phyſicorum Contextu 56. vbi de ſpeciebus fortunæ verba facit. Propterea vero communi vſui loquendi ſe ipſos accommodarunt, vt alios ad philoſophiam addiſcendam, atq; æſtimandam magis inflammarent. Interea venit hic perpendendum apud ſummos philoſophantes præſtantiſſimam diuinorum intellectionem, quæ illis aliquando contingebat, proxime acceſſiſſe ad intellectionem per eſſentiã; comparatione facta ad præcedentes intellectio-

Defenſio à ſecũda calũnia.

nes, & ad intellectiones vulgarium animarum. non autem ſi comparetur cum ipſa intellectione beatifica, qua cum intelligentiæ, tum beati Deum intelligunt. Quemadmodum enim philoſophus, vni rationi ſemper inhærens, circa diuinorum entitatem non facile cognoſci poteſt: quia vulgariũ animarum oculi diuinitatis radios ſuſtinere non poſſunt, vt præclare dictum eſt a Platone in Sophiſta; ita nimirum philoſophus, quamquam longe ſuperat intelligentia imperitos & addiſcentes, circa Diuina tamen clariſſime intelligenda ſe habet ad lumen ſolis, vt Noctua. quemadmodum ſummo iudicio ab Ariſtotele ſecundo Methaphyſices determinatum fuit. Ad rationes in contrarium adductas reſponden dum eſt, & in primis ad eam, quæ Platonicorum eſt, ac dicendum, ſatis eſſe homini in hac uita, ut Deum colat, & conformiter ſecundum leges naturæ uiuat; ſi ex cognitione uiſibilium ad inuiſibilium intelligentiam per ſpecies, ut hic ſibi naturaliter congruit, aſcendere ualeat. Quamobrem inexcuſabiles omnino ſunt Gentiles, ſi Deum (ut par erat) minime coluerunt, quemadmodum ex ſuperius dictis liquido patet. Et quemadmodum ita uere ſicut, & pie nos docet Paulus Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos cap. primo: ſi homo in præſenti ſtatu uitæ Deũ de facie ad faciem uidere poſſet, talis intellectio ſupra naturæ ordinem illi competeret. Deinde quo ad primam Peripateticorum argumentationem dico, intellectum iunctum ſenſui facilius intelligere intellectione phantaſmataria, & per ſpecies intelligibiles ex phantaſmatibus ab intellectu agente deductas. & negatur ipſum ſub hac ratione facilius intelligere poſſe diuina ſine ope ſpecierum. Quo ad ſecundam dici poteſt, intellectionem uiſibilium aliquo modo conferre ad intellectionem eorumdem futuram, & aliquo modo non, conferre quidem, quatenus ex illa ſequitur, nos poſſe, Deo illo modo cognito, eum pie colere; & imitari, & ita mereri deinceps pro futura gloria conſequenda, ſcilicet in qua poſt mortem iugiter Deo fruemur,

mur,

mur, ac eum intuebimur. Illa itaq; intellectio minime superuacanea putetur. Cæterum modo non est necessaria, quandoquidem in alio statu, tali nequaquam indigeamus intellectione.

Supradicta colliguntur & detractores ad Philosophiam benigne reuocantur. Cap. L.

PRincipem igitur offendi causam, a qua Philosophia ortum ducit; quid item ipsa sit; præterea, quæ, & quot eius partes existant; necnon cuiuslibet partis vtilitates; & tandem a grauioribus calumnijs defensiones; hucusq; eadēmet Philosophia ijs, quibus tum vere, tum pie philosophari consilium est, demonstraui. Hæc eadem, quæ omnium humanarum facultatum præclarissima est, suauissimo oris sui osculo in præsentiarum hos eosdem tum veros, tum pios philosophantes deosculabitur: si alios, qui ab ea longe recesserunt, &c, qui seipsos infœliciter perdunt, ad eamdem suscipiendam, veræ simul, ac pię defensionis causa, reuocent. Postmodum vero si id efficient, aut saltem vt id efficiant pro dignitate curauerint, Deus ipse illorum æterna erit beatitudo. Cum itaq; vos, qui vere sapitis in eos, qui in sinistrum iter ob ignorantiam, aut arrogantiam vna depulsi sunt, incideritis, eos ab animi turpitudine simul, ac impietate, pro virile vestra reuocetis, Exclamate, si fortassis alia uia non proficitis hunc in modum. O uiri admirabiles, qui inter primos Philosophos studiose adnumerari contenditis, quē locum uobis in Republica Christiq; corpore mystico, quod est Ecclesia Catholica, cuius caput uisibile uertexq. successor est Apostoli Petri Romanus Pontifex: quem inquam locum uobis in Republica Christiana statuitis? Nonne Deus huc uos misit, ut uosmetipsos, atque alios omni uirtutum genere, ac diuina pietate formaretis? Nonne uos philosophicè tamen excellenti clamido decorauit, ut aliquando Doctrinæ diuinitus reuelatæ ministri sitis? Reuertimini Fra-

tres,.

tres, reuertimini ad uiam, quæ ad ſalutem ducit, eam relinquentes, cuius finis æterna eſt miſeria. Vos animarum Medicos (quãtum humana hac ueſtra facultate fieri poteſt) conſtituit Deus. Curate igitur, curate voſmetipſos, atque alios; deinceps a morbis animi longe grauioribus ac morbi corporis exiſtant: alioqui tamquam incurabiles, ac deplorati ſolis prædictionibus derelinquemini. Quamobrem Eccleſiæ Catholicæ ſummus ac optimus Paſtor, ubi uos (quod optimus Deus auertat) in reprobum ſenſum coniectos repererit, ne alias oues ueſtris tum contagioſis, tum exitialibus morbis inficiatis, uel inuitus ex hoc Mundo, Deus uerò, quod multo formidabilius eſt, de libro uitæ delebit.

FINIS.



ROMAE,

Excudebat Iacobus Ruffinellus. 1586.

re-
um
eſt)
que
nor-
plo-
Ec-
os

KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN 1967